# FONS
## SEU
# ORIGO FEBRIUM,
earumque remedia.

*Auctore*

NICOLAO FONTANO
Amſtelodamenſi,
Sereniſſimi Principis
D. FERDINANDI,
Archiepiſcopi & Electoris Colonien-
ſis, utriuſque Bavariæ Ducis,
Medico Cubiculario.




AMSTERDAMI,
Apud IOANNEM BLAEV.
M·D·CXLIV.

Sereniſſimæ Suæ Celſitudini

# D. FERDINANDO,

Archiepiſcopo & Electori Colonienſi, Vtriuſque BAVARIÆ Duci, &c.

Domino ſuo clementiſſimo.

SEreniſſime Princeps Elector,

Majorum *Celſitudinis Veſtræ* facinora fere per univerſum orbem terrarum, cum peracta, tum pervulgata recenſere ſi eſſet animus, obſtuperet mens & paralyſi tentaretur dextera.

Quid ergo ſupereſt, *Serenitati Veſtræ* quod retribuam pro oblatis in me officiis tantis? revera nihil; niſi quod proſtratus humi ante faciem *Celſitudinis Veſtræ*,

hunc parvum fœtum, in verum ſignum gratitudinis conſecrem. Vt cum exiguo hoc meo munuſculo mihi tuto quieſcere liceat ſub umbra Ser$^{mæ}$ Celſitudinis veſtræ immuni ab omni Zoilorũ invidia, & ita continuo vigilare (Deo adminiculante) pro ſanitate Ser$^{mæ}$ Celſitudinis Veſtræ, in majorem Dei gloriam, incrementum Eccleſiæ Catholicæ, Imperii Romani, & Illuſtriſſimæ Domus Bavaricæ, cui ſe totum devovet,

Sereniſſime Princeps Elector,

Celſitudinis Veſtræ

Humillimus Cliens,

**Amſt.** xxv *Aprilis*, 1644.

Nic. Fontanvs.

Bene-

## Benevolis Lectoribus

## S. P.

ARma virumq; cano, non ea quæ ſanguinem provocant, ſed ingenia acuunt, contra Hellemontium militem Thraſonicum, qui ſpretis veris Medicinæ principiis, ſe omnium medicorum Belgarum antiquiſſimum nominare auſus eſt : cum mihi certò conſtet, doctiſſimum profeſſorem Ophemium, nobiliſſimum Nonnium, & expertiſſimum Laſarum, illum annis, ſtudiis, experientiaque plurimum ſuperare, & aliquot paraſangis poſt ſe relinquere.

Videte quam grave onus prima fronte ſibi imponat hic vir bonus, hoc figmento, & inani jactatione, unde ſe nunquam extricare valebit. Proinde ſinamus illum magna ſua myſteria ad Apollinis deportare aram, apud quam, metu, & pudore privatus, ſuo vivat ſucco, putidaque vanitate ſaginetur. Hic enim ex carbonibus aurum, ex ſtercore gemmas pollicetur. Hic

*ſibi artem Medicam certam & infallibilem ſtatuit; cum tamen videamus multa in rebus humanis præter conſilium & rationem contingere. Sic Cæcus cornicem figit, dum Natura potens corporis noſtri rectrix ſponte ſua, ſeſe vel purgatione, vomitione, vel critica expulſione per loca conferentia exonerat, quà, tota morbi, ſymptomatumque cauſa, vel tollitur, vel ſaltem minuitur. Quod nobis teſtatur* Galenus *de quadam capra, ſuffuſione laborante, & ſtipite acutiſſimo in oculum caſu impreſſo, viſum recuperante.*

*Secundo ex ſuo* Helmontiò *cum fœtore profert*, febres caſtrenſes ſine calore eſſe febres, *eo fine ut monſtret calorem non eſſe eſſentialem, & individuum febrium comitem. Addit ad hujus pariter oppugnationis confirmationem etiam*, in intermittente febre adhuc illius reſtare initia; *quibus autumat, febrium eſſentiam comprehendi etiam debere. Sed quam ſtupida hæc objectio, diſcreti Lectoris judicio examinandum ſubjicimus.*

*Si intermittuntur febres, debent pro*

*tempore*

*tempore deſinere, rurſuſque redire; aliàs febres intermittẽtes non ſunt. Et quis ſanæ mentis unquam dixerit rei initium ipſam eſſe rem, & conſequenter febrium initium eſſe febrem; qualis eſſet, ſi febris eſſentiam contineret frigus & rigor antecedens?*

*Hic denuo egregius Medicorum* Athleta *& malleolus capite ſecundo ubique errat, & ſe ignarum Philoſophicorum præceptorum clarè demonſtrat; propterea conſultius huic fuiſſet, ſi, priusquam onus hoc adeo grave ſuis impoſuiſſet humeris,* Lovanii *per annos aliquot Philoſophiæ profeſſorum ferulæ ſe ſubjeciſſet.*

*Errat certè, præſertim ubi miratur ſtupidè Medicos eſſentiam febris calorem ſtatuere, & tamen ubique ad putredinem recurrere, aſſignareque febrium diverſitatem pro putredinum varietate.*

*Hic ignorat, quomodo unus calor exiſtens ſpecie, poſſit efficere tam varias ſpecie febres. Neſcit enim, ut cognoſcatur morbi eſſentia, ſingulariter cognoſcenda eſſe ejus principia & effectus; imo plerumque diverſitas eſſentiæ aliunde*

*quam ex effectibus diverſis non cognoſcitur. Non mirum igitur, ſi Medici ubique putredinem, febrilis caloris cauſam vel effectum examinent. A putredine enim, non ſolum indicatur diverſitas caloris, ſed etiam communicari videtur illi moralis diverſitas. Neſcit calorem, quamvis ejuſdem ſit ſpeciei phyſicè, ubicunque reperitur, poſſe tamen moraliter pro affectuum diverſitate, diverſas febrium ſpecies conſtituere.*

*Sicuti tempus phyſicè partes omnes homogeneas, & ejuſdem rationis habet, dicuntur tamen ſpecie differre moraliter, ut dies annuſque, propter durationis inæqualitatem.*

*Omnia quæ ubique dicit in ſua* nova & inaudita febrium doctrina, *poſſunt æqualiter vel facilius labefactari; quare in his nugis diſcutiendis diutius non morabor, quandoquidem ſunt aniles fabulæ, deliria, & hallucinationes, quæ hic ſomniator pro ſua ſtatuit ſententia.*

*Tamen ut obviam omnibus ejus abſurdorum abſurdiſſimis eatur, quæ ſibi fingit*

*capite*

*capite tertio de humoribus in venis vel alibi putreſcentibus, unde febrium diverſitas; ſcienda tantum eſt febris definitio ſupra allata. Debet enim eſſe calor in corde accenſus, ſive illa accenſio fiat à putrefacto ſanguine ab hepate ad cor tranſlato, ſive à quacumque alia maligna qualitate ſanguini ad cor tranſmiſſo inhærente, vel idipſum extrinſecus afficiente, ille calor excitatus in corde pro varietate intenſionis diffuſus à corde per ſpiritus vitales, ſanguinem alioſque humores afficit, & aliquando magis unum, alias facilius alium putrefacit, vel æqualiter omnes, unde naſcitur febrium diverſitas. Et quia, poſtquam dilabitur à corde ſpiritus, tempus requiritur, ut ſanguis ab hepate ad cor tranſmiſſus in ſpiritum mutetur: hinc eſt, quod interea, imminuto & præ penuria langueſcente, prius immiſſo in venas ſpiritu, intermiſſiones fiunt, uſque dum novus in corde generatus, priorum in venis conſumptorum locum occupet.*

*Hiſce patet diſcutienti & conferenti doctrinam hanc cum frivolis illius difficultatibus*

*cultatibus facile omnibus ſatis factum iri; quas ut leviores, non moror recenſere.*

*Fatua tua poſitio qua dicis:* Sanguinem non poſſe abundare nimis, ſicut nec ſpiritum vitalē. *Sit ita de ſpiritibus vitalibus, quare propterea ſanguinis copia peccare non poſſet? Dices, quia correlativa ſunt ſanguis & ſpiritus. ſodes, hinc te nullo modo percepiſſe tractatum de relatione judicamus; quia ea correlativa dicis quorum unum alterius ſedes eſt. Sic enim tu & tua cathedra correlativa ſunt. O Pape! quam craſſa hæc Philoſophia eſt.*

*Nec mirum, quandoquidem hic Deum Naturamque accuſet, dicens:* Nec hunc, *nec* illam uſpiam inſtituiſſe venæ ſectionem. *Quod quam falſum ſit, pueri norunt, hæmorrhagia plerumque tentati, & viri hæmorrhoidibus.*

*In quem finem gloriator hoc fit? Non te latet omne quod fit, ob rationes fieri debere. Ergo ob ſanguinis abundantiam. Hanc viam videntes ſeniores Medici eam ſecuti ſunt, oppreſſæ naturæ, certa lege, ut artis eſt, occurrentes, ſecando venam*

*nam pro virium quantitate, ætate, regione, annique tempore.*

*Sicuti enim circumſpectus is judicatur agricola, qui non temerè vel ex fortuna æſtuaria falcem tractat, ſed artificioſa induſtria auſpicatur, curat, & abſolvit: & ut nauta dexterrimus habetur, apud quē prudentia navigat, judicium gubernat, uſus rerum magiſtra remos agit velumq; dirigit, ſic is probæ doctrinæ & ſtabilitæ fidei verus decernendus Medicus, qui Hippocratis (hunc enim colis,* Galenum *ſpernis) ſcientia, multarum rerum peritia, atque exercitatione, methodo juxta indicationes, ex ipſa rei natura ſumpta, ingenti virtutis amore, ſingulari medicandi judicio rationem experientiæ conjungit & utraque artem ſuam confirmat. Id enim nos factitamus, edocti ab* Hippocrate *aliiſque gravioribus viris, qui id didicere à brutis, id eſt à natura, tuam culpantibus, imo deplorantibus cæcitatem.*

*Vnus ſit tibi magiſter* Hippopotamus, *qui, auctore* Plinio, lib. 8 Nat. Hiſt. cap. 16, *aſſidua ſatietate obeſus in lit-*

 *tus*

*tus exit, recentes arundinum cæſuras ſpeculatus, iis corpus imprimit, venamque in eo aperit, qua aperta, ſe exonerat, natura deonerata, ſe limo obducit, ut claudatur apertio.*

*Vide, Domine, quid dixeris, dum ſomnias, Turcas rationi curæque tuæ ſummopere favere: cùm nobis certò conſtet Syros, Ægyptios, Arabas, Abyſſinos, omneſque orientales populos creberrimè venam ſecare, ſcarificationibus uti, imo pueris ſanguinem detrahere, à Deo ter Opt. Maximo, à natura edoctos.*

*Hanc Doctrinam ſequuti ſunt* Æſculapius, & Podalyrius, *ſic etiam* Aſclepias, *divini homines in ſua arte, imo ſemidei nuncupandi*, Heraclide pontico teſte, lib. de diff. Reſp.

*Hanc venerandus ille* Hippocrates, *Medicinæ fulgentiſſimum jubar ubique paſſim commendat, tuus & meus patronus ſummus, dicens*, lib. 2 Epid. largam Hæmorrhagiam ægro à magnis liberare morbis.

*Hac ratione nititur* Galenus, *ut neceſ-*

*neceſſitatem Phlebotomiæ probet, quotieſcumque eam jubet. Sed hanc non vidit hic myops cum ſuis Empiricis & Eraſiſtrati ſectatoribus. Hac occurrimus* Hæmoptoſi, Anginæ, Apoplexiæ, Peripneumoniæ, Pleuritidi, Ophthalmiæ, Vertigini, Colicis, Hemorrhoidibus, & Artritidi.

*Hinc laudatur celeberrimus* Arabum medicus Avanzoàr, *quod filium ſuum triennem, Angina graviſſima laborantem, venâ in cubito ſectâ, ſanaverit, quam adhuc illi exercent creberrimè, qui in iſtis partibus degunt, quod in patria mea, in qua illi ſingulis quibusque annis mercaturam ſuam exercent, dum erant, & hoc tempore ſunt, petivimus, nuncque petimus: qui ſua fide nobis teſtabantur, & teſtantur illos in ſua regione ſemper in omnibus fere morbis à venæ ſectione exordiri, & ſine illa, ſeſe nihil boni in ægrorum commodum efficere poſſe. Quod una aſſerit* Proſperus Alpinus lib. 2 de medicina Ægyptiorum.

*En talpa, exemplum* Magni Coi, in

Oenide, lib. 5 Epid. *prolatum*, *quo demonſtrat ſe ſola venæ ſectione illum ſanitati reſtituiſſe.* *Sic* & Stymargi *famulam* Idumæam, *cui poſt partum nè ſanguis quidem prodiit*, & *illico uteri os iſchium detortum eſſet*, *vena malleoli ſecta perſanavit*; *quamvis tremores jam corpus occupaſſent.*

*Plura ſi deſideras, adi ipſum*, lib. 1, Aphoriſm. 3. *tunc facile*, *ſi emunctæ naris homo ſis*, *percipies in gravioribus malis, venam ſecandam eſſe, quam tu inſanus improbas, cui ego vel hanc, vel helleborum adminiſtrandum ſentio*: *qui ſic ſtulte loqueris:* Ego ſane nemini pleuritico ſanguinem detraho. Eſtque curatio ejuſmodi tuta, certa commoda. *Sed nos ſanguinem pleuritico ſtatim detrahimus, eſtque curatio tuta, certa,* & *ſalutaris valdè*: *quod una nobiſcũ feciſſet* Helmontius, *ſi uſus fuiſſet noſtro perſpicillo, quo vidimus veram Hippocratis doctrinam latam*, lib. 4 de ratione victus, in morbis acut. textu 73, *qua dicit:* ſanguinem, uſque dum mutetur ejus color, trahe.

*Nonne*

*Nonne ita* Hellemonti ? *ita. Ergo ſus Minervam ſuam docere conatur ; qui non erubeſcit dicere :* neminem ſuorum ægrorum periiſſe, ubi interim ſub phlebotomo, plures longa tandem labe perierunt, & quotannis recidivant. *Ha ha he ! qualis ratio, qualeque exemplum, hac ſi nobiſcum certaverit, illum devictum à me pro certo ſcio, qui nullam habet rationem, quandoquidem nec* Hippocrati, *nec* Galeno *fidit, medicorum corypheis.*

*Dicis,* Hippocratem, lib. de rat. victus in morb. acut. *quo de pleuritide agit, quæ ſub diaphragmate ſitas partes occupat, ventrem veratro nigro mollire jubere & non venæ ſectione ; ſed ego tibi, te nec* Hippocratem *legiſſe, nec ſi legeris intellexiſſe ; quandoquidem allegato hoc loco de ſpuria agit, quæ à nobis ſimilibus, imo fomentis perſæpe curata fuit, haudquaquam vera & legitima, de qua tu loqueris.*

*In hac cum* Galeno *magna tentanda ſunt auxilia. quænam illa* Galenomaſtix ?

ſtix? *Nonne venæ ſectio? convenientiſſima, quia pleuritide laboranti vehementia medicamina exhibere, eſt oleum igni addere, id eſt, calorem calori; quod contra* Hippocratem *eſt, qui eam paſſim commendat, quandoquidem revellit, derivat, evacuat, ſanguinem alterat, experientiâ teſte.*

*Quare piaculum foret in pleuritide hanc omittere, ob multas rationes, quæ ab omnibus laudantur, & à nobis præcipue, qui pluſquam centum ducentoſque (loquimur hic de pueris) vidimus, qui omiſſa Phlebotomia partim tabidi, partim Empiematici obiere.*

*Tu utrum unum videris in hunc diem dubitamus, cum nobis nondum quicquam certi de tua praxi conſtet, qui gloriaris cum experimento ruſtici, quem in ſcœnam introducis una cum ejus ſtercoribus bovinis & equinis, cui itidem ego: Vade* Doctor ſtercorius, qui morbos ſtercore pellis.

*Hæc vera legitimaque venæ ſectio uni ſoli* Hippocrati, Galeno, *eorumque ſequacibus*

*quacibus convenit, non levioribus iſtis ingeniis hoc tempore graſſantibus, inter quos tu te caput eſſe gloriaris, quem latet qualẽ gloriam, & honorem eâ ſibi ubique locorum comparavit ( quem tu ignarum anatomiæ corporis humani fuiſſe pronuncias) cum illud ſæpius ſecuerit; ut patet* lib. 12 de uſu part. *ubi ſolius hominis naturam exponit. Hinc eſt quod olim* Galenum *per jocum dicerent jugulaſſe febrem, qui contra* Hippocratis *præcepta ( qui nec fallere nec falli potuit, teſte* Macrobio *) nunquam quid in medicina tentavit: quem ſequuntur* Avicenna, Rhaſis, Meſues, Iſaac Iſraelita, & omnes verè rationales Medici. *ante hos omnes* Cornelius Celſus, qui, lib. 2 de venæ ſectione, *tibi aliud perſpicillum hîc offert, ut meliora videns reſipiſcas: nam perſeverare in malis diabolicum eſt, & cum pertinacia tueri errorem: ſic enim habet magnus prælibatus auctor:* Sanguinem incisâ vena mitti, novum non eſt: Sed nullum penè morbum eſſe, in quo non mittitur, novum eſt. Item

mitti

mitti junioribus, & fœminis utero non gerentibus, vetus eſt. In pueris vero idem experiri, & in ſenioribus, & in gravidis quoque mulieribus, vetus non eſt. Si quidem antiqui, primam ultimamque ætatem ſuſtinere non poſſe hoc auxilii genus judicabant, perſuaſerantque ſibi mulierē gravidam, quæ ita curata eſſet, abortum eſſe facturam.

Poſtea verò uſus oſtendit, nihil ex his eſſe perpetuum, aliaſque potius obſervationes adhibendas eſſe, ad quas dirigi curantis conſiliis debeat. Intereſt enim, non quæ ætas ſit, neque quid in corpore intus geratur, ſed quæ vires ſint. Ergò ſi juvenis imbecillior eſt, parum valet, male ſanguis emittitur. Emoritur enim vis, ſi quæ his ſupererat, & hoc modo eripitur. At firmus puer, robuſtus ſenex, & gravida mulier valens, tuto curantur.

*Hac divina lege* Rhaſes *edoctus in ætate decrepita, quæ gravi & urgente pleu-*

*pleuritide vel peripneumonia urgeretur, ſanguinem emiſit.*

*Eadem laborans* Archiater Regis Chriſtianiſſimi Ludovici 13, & Eminentiſſimi Cardinalis de Recheliu, Frãciſcus Citeſius *ſibi ipſi quindecies venam ferire juſſit, cuique ſeptuagenario extractæ cum eſſent per vices quindecim libræ ſanguinis, mihi ſcripſit ſe ab orci faucibus nutu Dei hac vice liberatum: quod fatemur nos interdũ factitaſſe, ſed minori ſanguinis quantitate, ex lege* Hippocratis, lib. de oſſium natura. *Quare, amplectere iſtam, ſumma dignitate, auctoritate, veritate, utilitate confirmatam, & olim à profeſſoribus tuis leviter impreſſam.*

*Exemplum illud tuum De* Ferdinando Principe Cardinali *allatum, nihil probat, quoniam*

Non eſt in Medico ſemper releve-
tur ut æger,
Interdum docta plus valet arte
malum.

*Scimus enim inevitabili fato mortem ex æquo advenire ſingulis, teſte* Paulo, *quia,*

*quia, ſi natura qualem inſtituit humani corporis ſtructuram, talem ipſam integram tueri atque conſervare potuiſſet, nulla unquam Medicina indiguiſſemus. quare illud certum eſt,*

Quælibet orta cadunt, & finem
cœpta videbunt.

*Et ſi mihi licitum ſit cum Poëta fari;*

Stat ſua cuique dies, & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ.

*Hæc eſt illa communis calamitas, quã nulla ars, nulla humana induſtria effugere, nedum reprimere poteſt. Ideo olim* Pſalmographus: Quis vivit, & non morietur? & quis eripiet vitam ſuam, à violentiâ ſepulchri. *atque iterum*: Dies annorum noſtrorum quibus vivimus, anni ſunt ſeptuaginta aut ad ſummum octoginta.

*Sed tu diutius tuis cum ſecretis nugiſque vives, quoniam omnes morbi, omnes cauſæ reconditæ, ſublimes, incognitæ, imo divinæ, tibi ſoli notæ, quæ latuere divinum Senem,* ut patet lib. 1 Præſ.

*Quare,*

*Quare, Lectores Benevoli, hunc rabulam fugite, fugite ejus documẽta peſſima, inaudita, quibus divinam noſtram artem obfuſcare, ſed in caſſum, conatur. Hic enim pluribus nocet, multoſque perdit. Huic, ſi ſpecioſam veſtem, cultum, ornatum, annulum detraxeritis, idem accidet q̃uod Cumano aſello, qui leonis exuviis exutus, apparuit qui erat. Sed, proh dolor! hic non ſolus dolii inſtar inanis maxime tinnit: reperi & alios imperitos, inertes, ignavos, amuſos, pſeudomedicos, qui præter quam quod Phyſicam ignorant, à quâ verus Medicus incipit, nec veterum, nec neotericorum ſcripta intelligunt, imo omnino latinè neſciunt. Hi ſunt illi, de quibus Medicorum pater inquit, ſe* Nomine multos re verò paucos vidiſſe. & Galenus, *hi ſunt qui aleas jactant, quotieſque accedunt ad ægros, toties peccant. Hi, ab eodem, jure merito, naturæ inimici ægrorumque hoſtes appellantur, ut quorum licentia ac confidentia (impietatem, enormitatem, ignaviam, temeritatem, incivilitatem, indulgentiam,*

*tiam, quis in tanta luce ignorare poteſt) in graviſſimos errores, imo mortes dixero, deducuntur.*

*De iis ego hic nunc non volo, nec libet dicere, ſed alias. tamen pro coronide:* Vireſcit vulnere Virtus.

*Advertite tamen malum impoſtoris ingenium, quo debacchatur adverſus omnes rationales medicos.* Hippocratiſque *aſſeclas; iis obtrudens, ut gloriatur, nova & inaudita ænigmata. Apage, oſtende nobis quomodo hæc proderunt, cum ſine interprete ſurdis narras fabulas: nec mirum:* Noctua eſt, quæ Phœbi non patitur radios. *Quare ſi à precone tuo laudari velis, fac ut promiſſa verificentur. O Deum immortalem! quid fiet tandem? quod nuper diximus* (lus mus.
Parturiunt montes naſcetur ridicu-

*Quoniam hic novarum ſectarum auctor, ex virgine meretricem faciet. At nunc palam totum tegimus, ex ungue leonem cognovimus, ut qui tam ferox ſis; ut etiam imperium in belluas habeas.*

*Vale*, qui frontis teneræ cupis videri.

*Ex-*

*Exagitans interim*, nocentes ſpiritus fumi grave olentes, *quos tandem dies quieſque diſsipabunt. Secus ſi accidat ſuadeo helleborum ſumas.*

*Vos interim veritatis amantes precamur, ne curetis illa, quæ hic coprias lutoſo prorſus ore in ſacram noſtram artẽ evomuit; qui haud quaquã in ipſius boni verique ſcientia verſatus eſt, ſed in improbitate, mendaciis & blaſphemiis, quæ nobis ſcribendo obtrudit: ideo nos cum Terentio:* auctâ, permiſſâque dicendi ſcribendique licentiâ deteriores fieri.

*Tamen ſi quid vobis adverſetur, progredimini in conſpectum adverſarii, & pedem pedi, os ori, calamum calamo conferte, & vos, pro poſſe à mendaciorum ſordibus abluite, atque ab impudentiſſimis calumniis vindicate, ut bona conſcientia, relictis hujus* Thraſonis *nugis & fabulis,* Hippocratis, & Galeni *doctrina inſtructi, omnibus prodeſſe poſſitis. Quod ritè à vobis peragendum ſperamus, ſi communem febris praxin ſequamini, quam nos pro virili (intactis ambagibus*

*pſeu-*

*pſeudophyſicis) cum contemplationis dulcedine, & veritatis ſtudio à puero ſequuti ſumus, idque, laus Deo Opt. Max. ſine ulla moleſtia, difficultate aut ægrorum incommodo; quam vobis omnibus offerimus veluti veram & ſacram anchoram, cui ſoli inhærere poteſtis, quandoquidem omnes medicinæ veri proceres, gratia Omnipotentis, ea omnibus miſeriis ſuccurrerunt.*

*Interim pancratice vivite, noſque excuſatos habete, quod hactenus erroribus iſtius hominis impliciti fuerimus, & nobiſcum acclamate*

O mores hominum! O quantum eſt in rebus inane!

Saphi-

# SAPPHICVM
Applauſorium & congratulatorium,

*In deceſſum & profectionem Nobiliſſimi, Doctiſſimi, & celeberrimi Viri D.*

## D. NICOLAI FONTANI,

Hollandi, Patritii Amſtelrodamenſis, Medici quondam cum hic verſaretur Orphanocomii & inſpectoris Collegii medici, practicique laudatiſſimi, jam verò Sereniſſimi Principis Electoris Colonienſis FERDINANDI, Ducis utriuſque BAVARIÆ, &c. Archiatri Digniſſimi; decantatum

*Ab*

IANO HYLANDRO M. D.
Art. Magiſtro.

FOns ſalutaris pueris repertus
Ex tuis ſcriptis fuit, Orphanorum
Amſtelos inter tibi ſingularis
Tradita cura.

Annus octavus cadit atque denus
Amſtelæ queis tu medicare turbæ
Multa ſcribendo, faciendo multa
Clarus ubique.

** Inte-

Interim Gallos celebratur inter
Fama doctrinæ, ac Italos ſagaces:
Rumor increſcit: tua ſcripta præſtant
Hanc tibi laudem.

Ergo te quondam quoque *Ferdinandus*
Auſtriæ lumen, Decus Imperantûm
Te ſibi legit Medicum Aulicíſque
Annumeravit.

Hunc rapit fatum, Superiſque junxit,
Alter accedens tibi *Ferdinandus*
Dux *Etruſcorum* ſibi deſtinavit,
Gymnaſioque.

Nil boni ſolum eſt, ſed ad altiora
Te fatum Fortuna vehens benigna
Belgicas inter remoratur oras
Dans meliora.

Tertius tandem tibi *Ferdinandus*
Stirpe prognatus Bavarûm decora,
Præſul Electorque Vbiûm ſacratus
Evocat ad ſe.

Ecce quam fatum variet, vicemque
Volvat humanam: à pueris ad aulam
Scandis illuſtrem; Bavarûmque magno
Principi amaris.

Sit tibi fauſtum, tibi deſtinata eſt
Cælitus merces. Deus auſpicatum
Principi reddat B a v a r o, tuiſque
Semper amicis.

In

In Fontem ſive Originem Febrium,

*Nobiliſſimi, Expertiſſimi, & Doctiſſimi Viri,*

# NICOLAI FONTANI,

*Sereniſſimæ ſuæ Celſitudinis,*

D. FERDINANDI, Archiepiſcopi & Electoris Colonienſis, Vtriuſque Bavariæ Ducis, &c. Medici Cubicularii.

*Multorum capitum Lernam quæ inſederat olim,*
*Alcidæ jaculis Hydra quidem cecidit;*
*Sed moriens, virus totum diffudit in orbem,*
*Aëra corrumpens inficienſque ſolum.*
*Hinc Febris furioſa lues mortalibus ægris*
*Incubuit, varii nominis atque notæ.*
*Hectica, Putrida, Continuans, Quartana, Maligna,*
*Tertia quamque dies ſæpe referre ſolet.*
*Et quæ non certæ ſtationis tempora ſervat,*
*Quaſque aliis Medici vocibus indigitant.*
*Omnes hæ gelido quatientes membra tremore,*
*Incendunt cerebrum, debilitantque caput.*
*Exiccant linguam, ſtomachi prædantur orexim,*
*Proſternunt vires, accelerantque necem.*
*Monſtroſam ut valeas hanc debellare cohortem;*
*Clava non opus eſt, igne nec Herculeo.*
*Sumito Nicoleus doctè quas miſcuit herbas,*
*Fontani cyathos ebibe, victor eris.*

Aliud.

*Pergamei, Coique Senis, cuî flumina deſunt,*
*Febrilem hoc poterit Fonte levare ſitim.*

Greg. Ayala.

In Fontem Febrium
*Clariſſimi & Expertiſſimi*
D. NICOLAI FONTANI,
*Sereniſſimi*
D. FERDINANDI, Electoris Colonienſis, Medici Cubicularii,

## Elegiacum.

ESſe, ferunt, varios doctorum ſcripta virorũ
Fontes, & miras Omnipotentis aquas:
In varios uſus hominum, pecudumque creatas:
Sæpeque queîs animal ſedet utrumque ſitim.
Quæ res ſunt magnæ: mirandaque plaſmata miri
Iovæ:. non hominis tale patrantis opus.
Suaviter ex puris bibitur, viviſque ſcatebris:
Tollit & egregiè limpida lympha ſitim.
Fauce ſiti quando crepitante viator anhelat,
Ceu cornix ſitiens, ſarcina cumque gravis:
Nil miſer exoptat magis, ac citò copia detur:
Sedet ut ingentem fonte recente ſitim.
En! hîc Fontani fons eſt, de febribus ortus:
Quô de fonte poteſt quiſque levare ſitim.
Romanæ fidei medicus. Sed corpora curat:
Pontifici credit relligionis opus.
Humanum corpus, totum cum partibus, illi
Subjectum certum, finis is, ut valeat.
Quid proſit ſanis, novit Fontanus, & ægris:
Fonte Galenæo tanta medela viro.
Æger es, & corpus cito vis revaleſcat ut ægrũ?
Fontani fontes conſule, ſanus eris.
Vis præſervari morbo tibi corpus ab omni?
Præſcriptum medicè ſume viri Recipe.

Non

Non modò (quas docet hîc) potis eſt depellere
febres:
Plus ultrà. Mala vir vellere plura poteſt.
Peſtis atrox, & cancer edax, veſana podagra,
(Vino proveniens, divitibuſque frequens)
Maturate fugam, mala vos, quantumque poteſtis,
Tollite vos: iſtis nec reditura locis.
Nam Fontanus adeſt, medicus, cui plurima
conſtant
Vos contra morbos. Hannibal ante fores.
Pollice vir medico præſtãs vos vellere cunctos:
Quò præſtet, vires, culta Minerva dedit.
Cæcus, ait: tantum, curâ, ſi videro: credam.
Credas, ſive minus, vir tamen arte potens.
Hippocrates det opes aliis; Paracelſus honores:
Hippocrates nec inops, nec Paracelſus iners:
Fontano tamen & ſua laus; nec fiet ut hujus
Fonticuli penitus deſtituantur aquis.
Tractatus brevis hic Fontano fonte coortus:
Vtilis eſt ægris, utilis & medicis.
Non fruſtrà medicus Fontani nomine gaudet:
Fontani rebus nomina convenient.
Exitus acta probat. Laudabunt facta magiſtrũ.
Dulcior ex ipſo fonte medela tamen.
Cum nihil eſt intus, quid potet in ordine quintus?
Si ſanus medicus, ſanior æger erit.
Mens medicum devota, peritia lònga, probatũ
Dant. Abſit propriæ peſtis hypocriſeως.
Magnus Alexander, domito fit *magnus* ab
Orbe:
Morborum domitis fiat & *Iſte* malis.

*Melchior Volckmannus,*
*Stud. Lig. Sileſius.*

SVB EFFIGIE

*Clariſſimi Medici,*

D. NICOLAI FONTANI

Amſtelodamenſis

*Scribebat*

FRANC. VOSSIVS.

FONS eſt Hippocrates, Medicam FONTANVS ab illo
Artem hauſi. Longè ſi ſequar, hoc ſatis eſt.

# INDEX CAPITVM

## De Febribus.

### CAPVT I.

DE *Febris Eſſentia.* pag. 1.

II.

*De Febrium Diviſione.* 6

III.

*De cauſis Caloris, & modo quo febris accenditur in corpore.* 9

IV.

*De ſignis Febrium.* 14

V.

*De ſignis Febrium putridarum.* 17

VI.

*De ſignis Febris Hectica.* 19

VII.

*De Curatione Febrium in genere.* 23

VIII.

*De Diariarum Febrium curatione.* 27

IX.

*De Synocho ſine putredine.* 28

X.

*De Synocho cum putredine.* 36

XI.

*De Febre Ardenti.* 40

XII.

*De Tertiana Exquiſita.* 47

XIII.

*De Tertiana Notha.* 58

XIV.

*De Quotidiana.* 65

XV. De

XV.

*De Quartana.* 71

XVI.

*De Semitertiana.* 79

XVII.

*De Quintana, Sextana, aliiſque longioribus Febribus.* 81

XVIII.

*De Febre Hectica.* 82

XIX.

*De Febre peſtilenti, maligna, & puncticulari.* 87

XX.

*De Exanthematis.* 114

*Concluſio.* 121

# F I N I S.

Digitized by Google

NICOLAI FONTANI

# F O N S,

## Seu origo Febrium,

### CAPUT I.

### *De Febris Eſſentiâ.*

A Fervore, febris nuncupatur, in hac enim ſanguis ſpirituſque tumultuariè per genus venoſum fervent, perque cæteras corporis partes ebulliunt, & moventur.

Frequentiſſimus affectus febris pervulgatuſque maximè, ad alios ferè omnes dijudicandos proprius, etiam omni ſexui, ætati, anni tempori, regioni familiariſſimus, auctoribus *Celſo. lib.* 3. *cap.* 3. *& Galeno* 11. *Aphoriſ.* 19, *&* 7. *ejuſdem operis comm.* 1.

Hæc, apud *Pergamenium illud lumen, lib.* 1. *acut. Comm.* 18. *& lib.* 1. *Aphoriſm.* 16. nihil aliud eſt, *quam converſio nativæ caliditatis in igneam.*

Vel ut *libro* 8. *meth. cap.* 1. habet. *Febrilis intemperantia eſt exceſſus, vel, ex ſuperantia caloris in corde.*

Hujus definitionem perfectius, meo quidem judicio, Magnus *Avicenna* tradidit: quæ talis eſt.

*Febris, eſt calor extraneus accenſus in corde, & ab eo procedens, mediantibus ſpiritu & ſanguine, per arterias venasque in totum corpus: quod ita inflammatur, ut noceat operationibus naturalibus.*

Hæc utrum perfectior videbimus, ſingulatim ſi omnes ejus partes examinemus.

Prima. [ *Eſt calor extraneus & præter naturam* ] Rectè. quia à temperie recedit ſua, & proportionatus non eſt, qui alias in corpore reſervat ſymmetriam, nullaque admittit ſymptomata, qualia viſuntur in febribus naturam ignis æmulantibus, ut oculorum, fauciumque inflammationes, ſitis inexhauſta, bilis ſinceræ vomitus, ſingultus, faſtidium, nigredo linguæ, cardialgia, capitis intenſiſſimus dolor, & ſimi-La. Rationem ſi quæris? *adi Galenum, lib.* 1 *cris. cap.* 12. illam reddentem: ſicut in ollis igni inpoſitis ob aqueæ humiditatis defectum, à retorrido calore caro nigreſcit; ſic à febribus ardentiſſimis oculi, & lingua. Nec mirum: nam in iis extrema ſunt omnia, & à ſtatu naturali aberrantia. Hæc vera ratio, quod *Galenus* una cum *Hippocrate* febrem vocarit ignem. Hoc eſt, ut ſentio, nativi caloris intenſionem ad igneum, ſeu igneam naturam: Nam calor intenſus ſi ignis non eſt, utpote ejus proprietas & accidens, proprie tamen ignis dicitur ad ignem pertinens: tanquam proprietas à principio à quo fluit.

[ *In corde accenſus* ] Sed objici poteſt, etiam ab hepate aliquando proficiſcitur intenſus calor extraneus, & præter naturalis ſymmetriam deſtruens, qualis eſt calor febrilis ſupra explicatus; ergo non ſolum à corde.

Reſp.

*Reſp.* Falſam eſſe ſequelam antecedentis: quia calor iſte ab hepate ortus non habet omnia ad febrilem calorem requiſita: non enim eſt durabilis, ac proinde non operationibus naturalibus nocens, qualis eſt in corde, ut exponitur in definitione. Id quomodo uſurpetur, unanimiter à Medicis & Philoſophis ratio evidens eſt, quia febris genus eſt, morbus, & ægritudo, definitur intemperamentum actiones lædens; hoc confirmatur auctoritate *Valeſii*, qui in hanc etiam abit ſententiam *lib* 5 *cont. cap.* 14, dum ait: *calorem excedentem in quocunque membro febrem non eſſe, niſi caliditatem tranſmutaverit in cor.*

[ *Et ab eo procedens in totum corpus* ] Per has particulas non intelligitur calor actualiter procedens & diffuſus per omnes corporis partes, ſed aptitudine tantum & actualiter in corde exiſtens: alias non eſſet febris dum extremitates corporis frigent, ferventibus partibus internis, contra communem medicorum ſenſum; qui Lypiriam febrem nuncupant.

[ *Mediantibus ſpiritu & ſanguine* ] à corde non procedit ſanguis, ſed vel ſpiritus vitalis vel animalis, unde *Avicenna* per ſpiritus, per antonomaſiam intelligit tantum animales & nomine Sanguinis vitales deſignat, quia propriè Sanguis à corde non procedit, ſed ab hepate.

Calor iſte febrilis eſt ne ut iræ, ac laboris? Minime. quoniam hic permanentior fixiorque, ut ita per ſe primo & immediate operationes lædat: Nam labor quiete, ira animi tranquillitate rationiſq; gubernaculo temperantur.

Petitur jam, an febris eſſentia in ſola conſiſtat caliditate, an verò præter hanc etiam ſicci-

tatem includat? Reſp. ex definitione allatâ cõſtare ſatis ſolum calorem febris eſſentiam conſtituere, quia ſiccitatis in eâ nullius fit mentio: certum tamen eſſe febrem ſemper adjunctam habere ſiccitatem, quæ ejus eſt proprietas, non vero ratio formalis & pars conſtitutiva.

Dices, *Ariſtotelem* velle febrem ortũ trahere à caloris & humiditatis exceſſu igitur, eam nõ habere ſemper ſiccitatẽ concomitantem. Reſp. *Ariſtotelis* verba nobis non adverſari, quia quamvis febris ab humiditate procedat, principium tamẽ ſuum, humiditatẽ ſcilicet, adveniente ſiccitate, minuit; quæ calorẽ quidem non antecedit, ſed ſequitur, tanquam proprietas ſuam cauſam.

Videndum nunc eſt, an ſolus additus calor preternaturalis ſit febris eſſentia an aggregatum ex calore naturali, & preternaturali addito? Huic difficultati occaſionem præbet allata febris definitio, in quâ ponitur [*Caloris exceſſus*] unde videtur, quod ſolus extraneus calor additus debet appellari febris, quia per hunc ſolũ fit exceſſus caloris. Reſp. Febrem conſiſtere in utroque calorè. Falſum enim eſt quod adfertur, caloris exceſſum fieri tantum per additum calorem adæquate, ſed tantum ultimo compleri. Tres enim poſtremi octo graduum caloris ſoli, non faciunt intenſum calorem, ſed cum præcedentibus quinque conjuncti, quia ſi auferantur quinque antecedentes, tres poſtremi ſoli exiſtentes erunt calorem tantum remiſſum efficientes.

Alia difficultas. An hic additus calor alterius ſit ſpeciei, & naturæ, à noſtro? affirmativam partem tuetur *Fernelius lib.* 1 *Phyſiol. c.* 1. Exiſtimans extraneum & naturalem calorem ſpecificâ differentiâ diſcriminari, fretus auctoritate *Ariſt. lib.*

*lib. 2. hiſt. c. 3.* quęrentis, Vnde viverent ſerpentes, papaver, mandragora, vniverſumq; ſtirpium genus creſceret, niſi dicamus cuncta hæc à calore illo præſtantiori non elementali, nec igneo, ſed æthereo, atq; divino extare in vivis. Quo ad auctoritatem *Ariſtotelis* dicimus hanc nobis non revera, ſed apparenter tantum reluctari. Nam dicit diviniorem eſſe exiguum ſerpentum calorem, quam magnum ab igne excitatum, non quia eſt ab illo diverſæ ſpeciei, ſed cuia eſt à principiis intrinſecis, & propterea durabilis, ſecus vero calor extraneus ab igne excitatus. Neque ad rem eſt, quod ille calof ab igne nō ſit, quia calores ejuſdem ſpeciei poſſunt eſſe à diverſis cauſis. Calor enim ſerpentum verè quidem non eſt ab igne, ſed ab ipſorum anima; & tamen eſt ejuſdem ſpeciei cum eo, quia ab eo intenditur. Neque dicas calorem præternaturalē & extraneum interimere naturalem calorem, ac proinde non poſſe eſſe ejuſdem ſpeciei: nam falſum eſt, naturalem calorem deſtrui, ſed tantum augéri, & intendi: quod enim intenditur, nulla ratione deſtruitur, ſaltem ratione caloris, quamvis propter augmentum ille calor amittit nomen naturalis caloris, & redditur non naturalis.

[*Quod ita inflammatur & noceat operationibus naturalibus*] Hoc intelligitur de ſtatu actuali, & nō ſolū de potentiali. Morbus enim actu nocet operationibus naturalibus adeo, ut ſi poneretur calor in corde etiamſi intenſiſſimus, modo omnes operationes illæſæ adhuc maneant, non dicetur febris; unde conſtat eſſentiam febrium duo includere ſpecie diſtincta, calorem ſcilicet intenſum, actu in corde exiſtentem, & potentia, in cæteris partibus; &, præter calorē, læſionem operationū

naturalium. Hæc læſio dividi poteſt in tres ſpecies, ſcilicet in privationem totalem operationum, in diminutionem, & in efficiendi difficultatem, & quæcunque harum morbum conſtituit.

## CAPUT II.

### *De Febrium Diviſione.*

FEbris triplici cognoſcitur modo, pulſu, reſpiratione, & tactu. Pulſus hic, ſi frequens veloxque ſit, maximum interdum incendium, & plurimas fuligines cor opprimentes adeſſe, ſignificat: illa ſi frequens, & celer, partibus ſpiritalibus, cordi nempe, ac thoraci phogoſin adeſſe, clarè oſtendit. Iſte, ſi mordax & inſuavis, acrimoniam ubique ipſi adeſſe demonſtrat.

*Hippocrates lib. 6 epid. ſect.* 1, *text.* 79, varias febrium diviſiones ſtatuit. nempe, mordaces, mites, ardentes, debiles, aridas, pemphingodes, aut puncticulares, humectas, rubras, pallidas, lividaſque quæ omnes prætereundæ, quandoquidem hæ ſecundum calorem vel magnum vel parvum, vel ſiccum vel humidum: vel ſecundum qualitatem, vel quantitatem fuliginum dijudicantur.

Febrium differentiam triplicem etiam agnoſcimus, Diariam, humoralem, & hecticam. Quandoquidem nobis liquido conſtat triplici materiâ corpus noſtrum gubernari, ſpiritibus, humoribus, ſolidiſque membris, quæ à Venerando noſtro *Sene lib. 6 Epid. ſect.* 8, *comm.* 7, continentia, contenta, & impetum facientia, ap-

appellantur: firmiter ſtatuendum, ex hoc fonte triplici etiam ternam illam morborum differentiam profilire. Continentia ſunt partes ſolidæ. Contenta ipſi ſpiritus, & humores. impetum facientia; ſoli ſpiritus. qui tenues agileſque, cum naturâ ſuâ ſint, ubique ſubtilitate, & caliditate impetum faciunt.

Hæc ab aliquibus dividitur in febrium morbum & in earum ſymptomata. Ille per ſe, id eſt à propriâ causâ, quæ unus quatuor humorum eſt, ſubſiſtit. Sed ſymptomaticus plerumque dependet ab aliâ quâdam cauſſâ morbo conjunctâ, utpote dolore, irâ, alio quodam animi pathemate, obſtructione, bubone, puris confectione, & ſimilibus: de quibus omnibus eleganter *Fernelius lib. 4. de febrib. cap. 8. & Valeſius, lib. 5, controverſ. 22.*

Sed hic videndum; num præter contenta, continentia, & impetum facientia, quædam alia inveniantur, quibus febris excitatur? Maximè, nam ſemen aut in utero dejectum, aut in genitalibus partibus retentum, putrifactumque puta, febrem & varia ſymptomata concitat, ſic etiam lac, quamvis ſubſtantia ſua puriſſima, elaboratiſſimaque, auctoribus *Galeno lib. 6 de locis affect. cap. 5. & Mathiolo in lib. 11 Dioſcoridis, Comm. 66,* idem tamen efficere pro certo habemus. Verùm non inde concludendum *Galeni* diviſionem eſſe falſam; quoniam febrium principales differentiæ hæ tres ſunt, aliæ verò remotæ.

Objiciet quis denuo. Si febris eſt paſſio viventis, debet ſubjectari in corpore vivente, at hi ſpiritus non vivunt, neque humores, ergo febris non ſubjectatur in iſtis.

*Reſp.* Paſſio dupliciter accipi poteſt. primo pro proprietate phyſica, vel metaphyſica, & ſic fatemur paſſionem poſſe recipi in eum, cujus eſt paſſio.

Secundo, accipitur pro qualitate affligente & nocente, quomodo morbus viventi nocet, & ſic falſum eſt debere neceſſario, in eo, cui nocet, recipi: ſatis enim eſt, ſi ſit in aliquo illi contiguo, vel ad ipſum pertinente; quâ ratione febris in ſanguine ad viventem ſpectante recepta, ipſi viventi officit.

Vltra, Febris datur non ex putreſcente, ſed inflammatâ bile, profitente *Galeno*, *lib.* 10 *Meth. c.*5. ergo plures ſunt differentiæ, quam Diaria, Humoralis, & Hectica.

*Reſpond.* Quod ad febrem, ex inflammatâ & non putreſcente bile, hanc tribuendam eſſe humorali putridæ: quatenus enim calor eſt præternaturalis, bilioſus jam eſt & acris inflammans ut putrida, cui aſſimilatur: ſic enim febrem ſanguineam ad putridam humoralem prælibatus auctor deduxit, *lib.* 9 *meth. cap.* 1. ne citra neceſſitates multiplices conſtituerentur febrium differentiæ: nam humorale & putridum interdum convertuntur.

Omnes ergo materiæ, quibus accenditur calor, ad illas generales febrium differentias reducendæ ſunt, ut meæ ſententiæ adſtipulatur doctiſſimus *Thomas à Viega, lib.* 1 *de diff. feb. in Comm. cap.* 1.

## CAPVT III.

## *De cauſis Caloris, & modo quo febris accenditur in corpore.*

GAlenus *lib.* I *de diff. feb. cap.* 3, *& lib. de cauſis morborum cap.* II. Febrium cauſas quintuplices ſtatuit.

*Prima* eſt prohibita tranſpiratio. *Secunda*, Vicinia ſeu adhæſio rei alicujus calidæ. *Tertia*, Motus. *Quarta*, Externus cibi potuſque putrifactio. *Quinta*, Humoris, vel humorum putredo.

Tranſpiratio hæc libera ſi ſit, continuò è corpore noſtro, poris patentibus excrementa expellit tertiæ concoctionis, iis verò aſtrictis, vel aëre frigido, balneis aluminoſis, vel, ut jactitabat quidam Medicus, ovis conquaſſatis corpore illito fortiter inter carbones ardentes, jacturam certè, ipſa natura ſuæ integritatis facit; quoniam viſcera interna flagrant & excandeſcunt. Primo, quia non ingreditur aër frigidus, quo noſtri corporis calor, & ſymmetria conſervatur. Secundo, quia fuligines non exhalant, quæ incaleſcunt, cordique communicantur, quod inde accenditur, ex quo febris.

Ex triplici coctione, triplex ſuboriri recrementum, verum eſt. Ex parte craſſiore chyli, fæcalia, quæ natura per ductus varios expellit, ut hic chylus, quo ſanguis in officina hepatis conficitur, defæcatior foret. Ex ſecunda, urina; cæterique fiunt ichores. Ex tertia, quæ in corporis fit ambitu, inque venis emanat parvis,

tranſeunt craſſiſſima, ex quibus ungues, pili, cornua, ſquamınæ, ſetæ. Sed ab aduſto retorridoque calore, ſudores, ſordes; quæ omnia dicuntur ſenſibiliter emanare, & nonnulla alia inſenſibiliter, vaporum modo, per poros.

Febris ex pororum conſtrictione orta, curatur à *Galeno*, *lib.* 8 *Meth. cap.* 4, balneis tepidis, & rarefacientibus auxiliis. huic ſententiæ ſuffragatur *Valeſius lib.* 5 *cont. cap.* 19.

Vicinia, ſeu adhæſus rei calidæ ignem movent. Sic in ſole ambulantes, ignique adſtantes, facilè febricitant. cum enim aëre alantur ſpiritus, qui, ſi calidiſſimus ſit, ſpiritus inflammat, qui inflammati, cor calefaciunt, febremque concitant; dummodo adſit patientis diſpoſitio ad calorem iſtum recipiendum. Pituitoſi ægrè, nam pituita intemperiei accommodatur calidæ, ut mihi fávet *Galenus lib.* 1 *feb. cap.* 4, hoc dogmate: *Nulla cauſarum ſine patientis aptitudine agere poteſt; alioqui omnes, qui ſub æſtivo ſole commorantur, febricitarent, aut, qui nimio motu exercentur, aut vini potu gravantur, aut irâ excandeſcentes, aut triſtitia afflicti: Alioqui, etiam ut arbitror, circa canis ortum omnes ægrotarent, ac peſtilentiis morerentur. Hæc, ut diximus, magnam in generatione ægritudinum partem habet ejus, qui paſſurus eſt, habilitas corporis.*

De motu, quis dubitat? Hic calorem etiam generat ex ſe, ut experimur, præſertim in corporibus ſolidis, quæ mutuo attritu fricata, caleſcunt uſque dum ignem concipiant, ut lapis ferro attritus: hoc fit aëris attenuatione calore genitâ, quâ poſitâ ab ejus materia aëris forma ſeparatur, & alia, ignis ſcilicet, ſuccedit, ad

quam

quam attenuatio & calor genitus diſponunt. Hic tamen motus immediate & proprie de ſolo corpore intelligendus eſt, quia, quamvis animi motus, ut ira, & cetera febrem gignat, id tamen non per ſe immediate facit, ſed prius corpus movet, cui adhæret, quo moto, calor ſequitur: ſpiritualis enim animi motus non poteſt materialem calorem immediate & per ſe efficere, ſicuti nec motus angeli tranſeuntis aërem, ullum calorem generare.

Lætitia pariter & gaudium febrium etiam cauſæ ſunt, quia celerem ſanguinis effluxum efficiunt, prius per dilatationem à corde ad partes externas, qui rurſus minori celeritate, ad priorem ſtatum ſeu cor redit. quo motu violento calor intenditur & febris generatur.

Sic etiam metus & triſtitia; oppoſita tamen ratione à lætitia & gaudio; quia à triſtitia excandeſcunt ſpiritus, maximè per motum repentinum ſanguinis ad cor, qui deinde ſenſim ad ſuum regreditur ſtatum ſeu priſtinam amplitudinem: at gaudium febrium eſt cauſa, maximè per motum & curſum ſanguinis à corde ad partes exteriores; qui ſenſim rurſus ad priorem molem & denſitatem revertitur.

Idem efficiunt cibus potuſve calidiſſimi. Nec mirum, cùm nihil ſub ſole habeatur, quod magis immutet corpus, quam ea quibus continuò nutrimur, quoniam iſtis, cor naturâ ſuâ calidum attemperatumque inflammatur: quod aſſerit *Galenus* de potu vini meratioris pueris, juvenibuſque propinato. nec mirum, nam ſanguis cibo potuque alteratus, nempe calidis, aptiſſimus fit, occaſione datâ, ad febrem concitandam.

Aliqui æſtimant putredinem etiam internam caloris febriſque eſſe cauſam, & omni interitui communiſſimam, cum *Philoſopho*, *lib.* 3 *meteor. cap.* 1. aſſerente: *omnia venire ad interitum per putridinem.* cum enim putredo ab extranea caliditate nativi caloris corruptio ſit, illâ datâ, illico febris accenditur: nonne id patet, ajunt exemplo *Galeni*, *lib. de cauſ. morb. cap.* 11. prolato de ſtercore columbino putrefacto, quod domum in *Myſia*, *Aſia parte* ad incendium excitarat? nonne lactucâ acumulatâ, & tritico in acervis putreſcente?

Denique quomodo inflammationes internæ, bubones, carbunculi, antraces, calefacerent ſine putredine? quæ quanto cordi propinquior, tanto citius febrem concitat, quanto ab eo remotior tanto tardius; quia fuligo putrida elevata à minera putredinis citius cor concutit cum à propinquiore parte exhalat, quam remotiore; hoc verum eſſe videmus copiâ exhalationis vaporis, à manantibus ulceribus, ſordidis fiſtulis, virulentâ ſcabie, fœdâ elephantiaſi, gallicâ lue, cæteriſque cutaneis affectibus, in quibus ingens prædominatur fœtor: & graveolentia putredinis comes, auctore *Galeno*, 1 *Progn. textu ultimo.*

Proponant quod velint, mihi tamen videtur putredinem non eſſe ſtatuendam inter febrium cauſas, quia potius putredo à febre & calore oritur quam contra febris à putredine. Exempla verò allata probant conjunctum cum putredine calorem; non tamen intentum efficiunt, ſcilicet, putredinem eſſe caloris cauſam ſed potius contrarium, ſcilicet calorem eſſe cauſam putredinis; idque tantum in fieri, non

vero in facto eſſe: nam, poſtquam conſummata eſt putredo eam calor deſerit, & loco ejus ſubſtituitur frigus, ut ex fimo conſtat multo tẽpore putrefacto. Ex his facile colligitur error craſſioris illius Dromonis, qui præ ingenii craſſitie, non advertens cauſarum diſcrimen, ſcilicet remotarum, & proxima efficientium, aſſeruit calorem cauſam unicam Hydropis; frigus verò excluſit: cum tamen certum ſit, ſolum frigus cauſam eſſe formalem illius morbi, & nullo modo calorem veram, & proprie dictam illius eſſe cauſam.

Probatur, quia ut aliquid ſit cauſa efficiens rei, qualem vult eſſe calorem Hydropis, debet exiſtere eo tempore, quo exſtat effectus. Sed calor, hydrope exiſtente, non eſt: Ergo non eſt cauſa illius verè efficiens.

Eſt itaque proprie calor tantum conditio diſponens ad hujus morbi generationem; cujus exiſtentia non requiritur ad effectus poſitionẽ. e. g. ut aliquis ingrediatur cubiculum, prius neceſſarium tranſeundum eſt per aream cubiculò proximam. Motus per aream eſt conditio diſponens ad ingreſſum cubiculi, non tamen ſimul cum eo exiſtit. Sed dices, Hydropico ineſt ſiccitas linguæ, cujus cauſa eſt calor & non frigus. Ergo calor eſt cauſa Hydropis, & effectuum Hydropem concomitantium.

Reſp. Fateor, calorem efficere ſiccitatem in lingua, ejus tamen dico illam ſiccitatem antecedere hydropeſiam, ac proinde poſſe benè cùm calore exiſtere, quamvis, nòn morbus ipſe qui frigoris eſt affectus, quod neceſſario ſequitur calorem. Ex his etiam colligitur, quam immerito & temere cerebroſus quidam agyrta Me-

dicos ſimul omnes caſtigare conatur, quod dicant putredinem caloris eſſe cauſam, febreſque omnes ex putredine originem trahere: cernere enim poteſt, quicunque hæc legit, putredinem juxta nos, alioſque verſatiſſimos medicos, non eſſe febrium originem, ſed effectum, proinde & caloris. imo, quid efficeret fœtidus ille homo ſuo ſterquilinio & fimo, etiamſi daremus putredinem cauſam eſſe febris & caloris. quid abſurdi ſequitur quod fimus abſolutâ putrefactione amitteret calorem, ſequitur ne præterea inepte putredinem appellari ejus cauſam? minime quidem, nam medici qui putredinem vel cauſam eſſe volunt caloris & febrium, non æſtimant adæquatam, unde mirum non eſt, putredinem ſæpius conjunctam eſſe frigori, & ſine calore exſtare. quia inadæquata cauſa quamvis neceſſaria, ſæpe tamen exiſtit ſine ſuo affectu. e.g. ſol eſt inadæquata cauſa duritiei, inde non ſemper duritiem cauſat, ut conſtat in butyro, quod molle, non durum reddit, ſed tantum hunc effectum efficit, dum adſunt alia requiſita ad illum procreandum, qualis eſt luti materia. Sic nec putredo ſola calorem efficit, ſed aliis conditionibus vel cauſis conjuncta.

## CAPUT IV.

### *De ſignis Febrium.*

### PRIMO DIARIÆ.

SIgnum primum febrium Diariarum à cauſâ manifeſtâ recenti, id eſt, procathartica oriri, teſtantur *Galenus lib. 1 de diff. febrium cap.*

*cap.* 7. & *lib.* 1 *ad Glauconem*, *cap.* 2. *Paulus*, *lib.* 2, *cap.* 16. *Aetius Tetrab.* 2, *ſerm.* 1, *cap.* 18. *Trallianus lib.* 2, *cap.* 1. *Avicenna* 1, 4, *tract.* 1, *cap.* 6. Hoc citra veritatem eſſe aliquis ſequentibus conabitur probare rationibus.

Prima. Calor, alteratione per continuum factâ, cordi communicatur, ex quo Diaria.

Secunda. Ex bubonibus, apud *Hippocratem*, *lib.* 4, *Aphoriſ.* 55. *Hæ verò omnes malæ, præter Diarias.*

Tertia. Hæc oritur dolore, animi affectibus, triſtitiâ, irâ, mœrore, gaudio.

Quarta. Stipatione cutis, docente *Galeno*, 9 *Meth. cap.* 4. Ergo non ſemper ab externa cauſa.

Leviſſima argumenta certè, quæ facillimè ſolvenda ſunt: dicendo, lato modo *Galenum* intelligendum eſſe; quoniam cauſa interna, ut citato febrium affirmat, intelligenda eſt incipiens, paucorumque dierum: nam omnes allatæ cauſæ recentes ſunt, & ſic diaria oritur ſemper à cauſa externa, primis diebus, invadente.

Secundum ſignum eſt, concoctio in urina, primo die. Illa verò & propria eſt, & inſeparabilis. Cum enim Diariæ materia ſpiritus ſit tenuiſſimus, facile inflammatur, citiſſimè coquitur, & natura actionem in ſe recipit.

Hic denuo mihi objiciet *Galenum*, *lib.* 8 *Method. cap.* 4, docentem, Diariam dari ex obſtructione, quæ fit lento, craſſo, multoque ſucco, qui non illico coquitur. ergo coctio non fit ſemper primo die. Sed ego Diariam dupli-

cem

cem ſtatuo, veram nimirum,& non veram. In hac nempe ortâ inflammatis ſpiritibus, ipſo die concoctionem demonſtrari, nemo ibit inficias. Sed in illa non tam facile ex groſſo craſſoque illo humore putrido ſuborta, ſcimus certiſſimè.

Tertium ſignum, apud *Galenum*, pulſus magnus eſt. De magnitudine ejus, nullum eſt dubium; quia potentia vitalis labefactata non eſt, quæ præter magnitudinem etiam celeritatem concitat. Nec obſtant *Galenus lib. 2 criſium, cap. ultimo. neque Avicenna*, 1, 4. *tract.* 1. *cap.* 6. docentes, pulſus diariarum interdum eſſe debiles: quandoquidem hi duo intelligendi ſunt de Diariâ, vel dolore magno,ut Diarrhæâ, vel cauſa aliqua reſolvente concitatâ, cujus pulſus inde debilitantur.

Quartum ſignum magis proprium & inſeparabile eſt, quod nullo modo ad celeritatem ea pars pulſus, ſyſtole vocata, tendat: caſu tamen ſi hoc contingat, parum à naturali ſtatu mutatur. Ratio eſt,quia in ea nullæ ſunt expurgandæ fuligines putridæ cor opprimentes, quas provida natura expellit,ne inde,quid detrimenti ei,copiâ ſuffocando, contingat.

Quintum ſignum proprium, & inſeparabile, caloris eſt ſuavitas. Quia vapores ab inflammatis ſpiritibus, cor non, ut mordaciores quamplurimi vapores ſolent,afficiunt.

Sextum ſignum, æqualis atque incompreſſus aſcenſus in caliditate à pulſu, eſt; qui mitiſſimi vapores cum ſint, pulſum non gravant, neque cor comprimunt; ut illi, qui in ſynocho reperiuntur.

Septimum, Status mediocritas. Licet enim

*Hip-*

*Hippocrates lib. 2 Aphoriſm.* 30, dixerit: *circa initia & finem omnia mitiora eſſe, fortiora verò circa ſtatum, idque ob quamplurima accumulata ſymptomata*; tamen ſtatus hujus Diariæ aliarum febrium reſpectu, abſolutè mitior eſt atque ſuavior.

Vltimum ſignum, ſolutio eſt cum ſudore, rore, aut vapore, quem ſequitur plenaria intermiſſio Diariæ febris.

De qua vide ſententiam noſtram in *Analectis noſtris, cap. 33. Epiſt. 2. reſponſ. ad peritiſſimum Zacutum Luſitanum medicum celeberrimum.*

## Capvt V.

## *De ſignis Febrium putridarum.*

NVnc occurrunt putridarum ſigna. Quorū primum eſt, quod nulla earum, à cauſâ oriantur externa: calor enim putreſcens in vaſis conſiſtens formaliter conſtituit febrem putridam. Neceſſe eſt enim, ut ſemper à cauſa oriatur interna, primo & immediate, quâ humor fit putridus in venis. Secundario verò, remotè & mediatè ab alimentis, cauſiſque quamplurimis externis. Hoc enim dicimus ex communi Medicorum ſenſu. Certum tamen eſt, etjam alimenta in ſuo genere eſſe cauſam immediatam febris, nam quamvis putredo & calor magis immediate concurrant ad febrem conſtituendam, hoc tamen fit, quia ſunt ejus cauſæ formales: alimenta vero, externa cauſa efficiens. Omnis enim cauſa formalis immediatior eſt, utpote intrinſece & eſſentialiter conſtituens, quam cauſa efficiens, quæ non conſtituit eſſentialiter,

tialiter, & ut pars, ſed extrinſice tantum influit in effectum ſuum.

Secundum ſignum eſt, febrem initium à rigore ducere, ubi neque ardor ſolis, neque frigefactio præceſſerint, qualis per ſolem nivemque euntibus contingere interdum ſolet. Ratio eſt, quia morbo incipiente febrili humores agitantur, qui ſi moveantur, fumos acres emittunt, viſcera interna concutientes & mordicantes. Horum præſentiâ, ſpiritus, ſanguis & calor, ad cor, quaſi ad aſylum confugiunt, donec natura victrix poſt varios luctus, vaporem à foco & minerâ putredinis elevatos diſcutit atque abſumit. Sicque victis ſuccis, flamma febrilis ſeſe exerit.

Tertium ſignum, inæqualitas pulſuum eſt, atque caloris; ſive in principio, ſive in augmento. patet. Cum enim humor movetur, fumi elevantur, calor retrahitur, pulſus comprimitur, qui, humore devicto, incompreſſus apparet. Sicut enim ignis, aut flamma, magna lignorum copiâ, opprimitur, ſic pulſus vaporibus, qui, his denuo diſcuſſis, ſeſe extendit, & major fit.

Quartum ſignum caliditatis eſt qualitas. Nihil enim in febre putrida tangenti, vel ſuave, vel moderatum eſt, ut in Diaria, ſed mordax. Nec mirum, quia à fumo putredo acrique elevato, ſuborta eſt.

Quintum ejus ſignum contractionis velocitas eſt; quia vigent interius magis quam in Ephemera fuligines congeſtæ, velociori contractione expurgandæ.

Sextum & maximum indicium urinæ cruditates ſunt, quæ, ut plurimum in Ephemeris primo

mo die apparent, teſte *Galeno*, *lib.* 1 *diff. febr. cap.* 7.

## Capvt VI.

### *De ſignis Febris Hecticæ.*

HOrum primum eſt pulſus debilis, ſeu parvus, & durus. Debilis, quia vis vitalis ejecta eſt. Durus, quia ſicca eſt arteria, humiditate ordinaria orbata.

Secundum. Quia tactus primo inſultu mitis, leniſque fit, quem ſi diu tangas, acris atque mordax perſiſtit.

Sed antequam ad alia progrediamur, conſultum duximus, hic (ut cætera deinceps rectè intelligantur) proponere febrium hecticarum ortum & locum: idque non ſecundum meam, ſed *Galeni* mentem, qui, *lib.* 1 *diff. feb. c.* 8, Duplicem Hecticarum originem agnovit: nam quædam plerumque ex ardentiſſimis febribus ortum ducunt, quæ in tantum producuntur, ut tractu temporis humorem in corde contentum abſumant: quæ non tantum hecticæ, ſed jure merito tabidæ nominandæ.

Aliæ vero, ſtatim ab initio invadunt, ſimilem ſui ortum cum Ephemeris habentes. v. g. quãdo ex triſtitia, ira, ſoliſque fervore oriuntur, tempore præſertim æſtivo, corpore calido ſiccoque exiſtente. Primo inſultu Hecticam (licet raro) nullâ præcedente Diariâ aut putridâ, poſſe generare aſſerimus cum citato auctore, *lib.* 3 *de præſ. ex pulſib. cap.* 4, quo ait: *Hectica peſtilens primo inſultu, dirâ putredine cor occupante, generatur.* Fieri enim poteſt ut propter

pter ſolidarum partium aptitudinem diſpoſitionemque cauſâ potentiſſimâ eâque vehementiſſimâ externâ cor illico calefaçit.

Hæc enim Hectica, quæ ſtatim cor occupat, tam accenſoria eſt, ut humiditatem illam primogeniam illico exiccet. At vero altera, quæ febres ardentes diuturnas, inflammationeſque internas ſequitur, conſumptâ paulatim humiditate, adurente calore igneo & præter naturam, ſenſim ac ſine ſenſu fit.

De hac habendus ſermo eſt. Hujus triplicem agnoſcit *Galenus* ſpeciem. *lib.* 1 *de diff. feb. cap.* 9.

Prima eſt, quando humor alimentitius inter ſpatia ſimilarium partium fervet, non tamen momentanea abſumitur.

Secunda, quando effervelcit, & major illius pars abſumitur.

Tertia, quando abſumpto rore primogenio, partes ſimilares fibroſæ, etiam & membranoſæ, ſunt abſumptæ.

Secundum has ſpecies *Avicenna* 1. 4. *tract.* 3. *cap.* 2. Febris hecticæ gradus cognovit.

Primum ſpeciei ſignum dicimus pulſum debilem, parvum, durum, calorem cutis acrem & mordacem. hiſce adde calorem ſenſatum in volis manuum, plantiſque pedum.

Quæſt. I. *Num hectica complicatio cum putrida poſſibilis.*

*Reſp.* Omnino, ſed tunc acceſſiones viſuntur putridæ, intenditurque calor per exacerbationes, rigores, & cætera alia ſigna putridas intermittentes febres concomitantia.

Quæſt. II. Si autem quæras; *quæ complicatio putrida periculoſior difficiliorque & curatu ſit?*

*Reſp.*

*Reſp.* Illam eſſe periculoſiorem, quæ contrarias ſortitur indicationes, quam ob rem tertiana ſecurior quotidiana, quia tertiana frigida & humida, utpote contraria, expoſtulat; pituitoſa verò, calida & ſicca, Hecticæ febri adverſa. ſed pituitoſa, & melancholica cum Hectica complicata difficillima. ob dictas cauſas.

Secundâ ſpecie, apparet in urinâ pinguedo *ex Hipp. progn.* 35. *quia adeps & pinguedo liquantur* torrefacto calore, *& ideo adeſt urina pinguis.*

Sed *Galenus lib.* 1 *febr. cap.citato*, maximum indubitatumque ejus naturæ indicium eſſe ait: ſi cibum homini obtuleris eo tempore quo maximè omnes horas ſuſpectas ſubterfugiſſe videtur. Statim enim unâ horâ aut duabus poſt acceptum cibum, quicumque ægrotantem tetigerint, alteram febris acceſſionem adeſſe opinabuntur: omnibus quidem hecticis febribus hoc proprium ac inſeparabile adeſt indicium, addito cibo febrem accendi; rationem ſuam *Galenus* ſic firmat: ſi enim calcis glebam frigidiſſimâ aquâ perfundas, multo calidiorem invenies calcem. Rectè, quoniam calor ſiccus in humidum proſiliens fervet & ebullit tanquã dato novo alimento: nam calor noſter naturalis gaudet humidis, fugit à merè ſiccis. ſic calor igneus & præternaturalis, qui ejuſdem eſt ſpeciei, adventante humido gliſcit, ebullit & excandeſcit, calcis aquâ affuſæ inſtar.

Hoc indubitatum ſignum, ſicut ſimilitudinem inter calcem & aquam, membrum cibumque illi, qui de differentiis febrium ſcribunt redarguunt.

Primo, quia recaleſcentia à cibo in putridis mani-

manifeſtatur. Secundo, quia exiguo illo tempore converſio cibi non perficitur. Tertio, quia calx affusâ aquâ effervefcit propter antiperiſtaſin, calore enim redacto, contrarii præſentiam fugiente, in foco unitur caliditas & fervet. Sed male argumentantur; non negamus hoc ſignum in aliis putridis non videri, ſed non tam manifeſte quam in Hecticis.

Secundo. non eſt neceſſe cibum eſſe concoctum, quoniam aſſumpto cibo illico coquitur, quâ coctione vapores elevantur, qui calorem totius impertiunt. Tertio: neque fervet calx ſolum, quia per antiperiſtaſin, redacto calore, ad contrarii fugam fervet; ſed quia ipſi lex à natura donata eſt, ut gaudeat calor noſter meris humidis: exemplum adeſt. Si enim papyrum igni imponas, ſtatim conburitur, oleacea vero non conburetur, necdum abſumpto oleo.

Hoc etiam oſtendunt nobis homines calidi humidique, qui longævi: nam vita reſervatur calore & humiditate, ſic arbores reſinoſæ & oleoſæ diu ſubſiſtunt.

Rore partium ſolidarum alimentitio abſumpto, humiditate fibrarum membranarumque conſumtâ, tertia ſpecies hecticæ conſurgit, quam eradicare difficile eſt, quia humiditas altera de novo ei ſimilis, & principio generationis creata non reponi poteſt: quare febris Hectica incipiens, ſi cognoſcitur, curatur facile: non abſolutè ſed reſpectivè, hoc eſt facilius quam Hectica tertiæ ſpeciei, quæ quando cognoſcitur, incurabilis eſt; ob has cauſas. Prima, quia ſiccitas valde reſiſtit. Secunda, quia humiditate corrigenda, quæ actione ſegnis & iners. Tertia, quia vires ſunt debiles. quo pacto

morbos

morbos à ſiccitate corrigere eſt difficillimum; quia ſunt pene inſanabiles apud *Galenum*, 11 *Aphoriſm.* 26. hac ratione ægrorum faciem, *Hippocrates, lib.* 1 *progn. text.* 6, & 7, dixit, apparere Hippocraticam, id eſt, naſo acuto, cavis oculis, aſtrictis temporibus, auribus frigidis contractiſque; item cute circa frontem dura, arida, colore totius vultu viridi, & nigro.

*Prognoſt.* Febris omnis, ut paſſio cordis membri principaliſſimi, periculoſa eſt, quæ ſi negligatur, mortem inducit. Sed præcipue Hectica.

Diaria licet ſuaviſſima, & ſua ſponte ceſſet; ſine bono regimine, medicique manu, in alias vertitur febres.

Putrida periculoſa, quia per ſe jugulat, nativo abſumpto calore, tamquam flamma major minorem abſumens: vel morbis acutis inflammationibuſque internis, quibus ſemper fere aſſociatur, vel à quibus dependet & originem ducit. Hiſce liquido conſtat continuas febres periculoſiſſimas eſſe & lethales. Quas ideo ſumma diligentia curabimus.

## CAPUT VII.

### *De Curatione Febrium in genere.*

Febris, qua febris, paſſio cum ſit calida ſiccaque, nihil aliud requirit quam contrarium ſui, frigidum nempe & humidum: quod docuit *Hippocrates lib.* 1, *Aphoriſm.* 16, inquiens: *victum humidum omnibus convenire febricitantibus.* rectè: nam hic caliditati ſiccitatique repugnat maxime; in quam etiam inclinat ſententiam *Galenus, lib.* 9 *Methodi, cap.* 14, qui ſic

ſic ait: *Intemperies quæ in calido conſiſtit, cum in totum diffuſa eſt corpus, febris nominatur: ideoque omni febri, quâ febri, humectatio & refrigeratio remedia ſunt.* Quare primo de aëre ambiente ſimus ſolliciti. cum enim *Sanatio*, auctore laudato, *lib. 9 Meth. cap. 25, nihil aliud ſit, quam præſentis in corpore vitioſi affectus in naturalem habitum mutatio*; & contrarii affectus neceſſe ſit, ut per contraria curentur, una ſolum erit curationum maximè generalis indicatio; nempe contrarietas. Quare neceſſe eſt ut aërem contrarium affectui eligamus, nam ut ille optimè, *lib. 2 Meth. cap. 14, Ambiens ſi contrario morbo temperiem habet, è præſidiorum numero unus eſt. Quare hic frigidus ſit & humidus.* Sin minus, paretur arte, tantumque refrigerandus humectanduſque, quantum à naturali habitu receſſit æger: curatio enim fieri debet contrariis æqualibus: nam aër ſi ſit frigidus, rationem cauſæ ſanantis habebit, ſi calidus, fovebit, augebitque morbum.

Hujus refrigerationis in febribus *Galenus* recordatur, citatis à me locis: quare domus ſit verſus *Septentrionem* poſita, circa quam flumina defluunt continuo, quibus aura elevetur, eamque alteret, feneſtræ aperiantur, ut ab ægro novus, frigidus, humiduſque attrahatur, aër noxiuſque exſpiretur. multorum hominũ turba non admittenda, nam hæc præter quam quod domum calefacit, ægro metum inducit.

Præparandus etiam cibus eſt ex frigidis & humidis, ut cichorea, lactuca, portulaca, acetoſa, ſit concoctionis diſtributioniſque facilis, ut ſunt carnes hœdi caſtrati, perdices, pulli gallinacei & gallinæ; quorum vis herbis ſimilibus

in co-

in coquendo alteretur: quibus omnibus adnumeranda pruna, poma aſſa, barbares, & uvæ.

Potus ſit aqua hordei, decocta radice cichorei, & herba bugloſſæ.

Vinum, vigente febre, vel ſaltem ante diem decimumquartum, offerendum non eſt: quoniam naturâ ſuâ calefacit & exiccat. Si tamen vires debiles ſint,& æger in declinatione verſetur,imbecillum à Galeno pauciferum vocatum ſeu oligophorum, ei propinandum, quia id tunc corpus reficit, teſte eodem, *lib.* 7 *Meth. med. cap.* 6. qui denique illud præſcripſit diuturnis vigiliis, ſyncope, animi deliquio, vomitu,nauſeâ,ventriculi proſtratione,laborantibus, conſideratis tamen quatuor modis vinum prohibentibus, qui ſunt viſcerum inflammatio,capitis dolor, delirium, & febris incendens.

Dicet quiſpiam *Galenum* vinum præſcripſiſſe quartanariis *lib.* 1 *ad Glauconem cap.* 10, 11. ſic & aliis febricitantibus decoctum paſſularum cum ſyrupo granatorum ex pomis, & abſinthio exhibuiſſe merè calida. ergo non peccant qui vinum in febribus propinant. Fateor equidē illum vina, & ſimilia calida præſcripſiſſe ad deobſtruendum, roborandum ſtomachum, concoctionem conciliandum, flatus diſſolvendos, ſed in febribus ex obſtructione ſubortis,utpote ſymptomaticis, quæ ſublata obſtructione curantur. *Sic primo Aphoriſm.* 16, in *Hydrope* cum febre calida propinat: merito, cum indicatio quæ à cauſa ſumitur præſtantior ſit eâ, quæ à febre. Sic *Avicenna* in obſtructionibus febrium prius ab obſtructione incipit curam ſuam quam à febre: IV 1, *cap.* 24. quare? quia obſtructiones fiunt ex humoribus viſcoſis,& multis: quod

denuo docet *capite* 31, his verbis: *quando una ægritudo cauſa fuerit alterius, ſicut cum accidit obſtructio ac febris, medicamur prius opilationi, deinde febri.*

Vinum quod ſpectat, in quartanariis exhibitum optimè fecit, quandoquidem in iis rationem cauſæ habuerit.

Febrile corpus ſomnus valde reficit. omnia enim quæ exiccant, ut vigiliæ & ſimilia noxia ſunt, quæ vero humectant proſunt. cum ergo ſomnus humectet, vigiliæ exiccent, hic utiliſſimus, hæ nocentiſſimæ.

Somni vi inutiles humores concoquuntur, ab utilibus ſeparantur, perque multiplices corporis regiones extruduntur, & natura ob horum expulſionem reddita alacrior cætera concoquit quæ concoqui ſunt apta, quo pacto de die vigilandum febrientibus eſt, noctu dormiendum.

Febrientes decumbant neceſſe eſt: quoniam corpus turbatur motu. Locus quo decumbunt roſis germinibuſque frigidis reſperſus ſit, qua exhalatione ſpiritus una cum corde calefacti recreantur. Lectus irroretur aquâ, acetoque roſarum. Caveant ſibi à motu: hic debilitat caloremque exacuit. Quare quies optima.

Animi affectus evitent; nam ira febrem acuit: triſtitia, metus, & puſillanimitas calore retrocedente cor conculcat, & febrem in eo uniunt, qua unita, difficulter innatus difflatur ignis, qui dum excandeſcit intenſus fit. Et majorem flammã per univerſum corpus concitat.

Quæ evacuationem & retentionem ſpectant, febrium curationi ſummoperè neceſſaria: cum enim Putridæ excretione, Hecticæ adjectione,

Diariæ

Diariæ reſolutione & exhalatione ſpiritus ſuperflui & calidiſſimi indigeant, hîc ea conſultò prætereunda; quandoquidem ſequentibus capitibus ea omnia particulatim, cum Deo, tractabimus.

## Cap. VIII.

### *De Diariarum Febrium curatione.*

DIaria multiplicem ſortitur ſuæ originis cognitionem. Illa enim quæ fit inflammatis ſpiritibus in calidis ſiccisſque naturis, regione calidiſſima, æſtatis tempore, in homine ad iram prono, vigiliis, triſtitia, curis, ac laſſitudine correpto, refrigerantibus indiget: ut ſunt aquæ potus, quies, eaque omnia quæ ſpiritus ſuopte genio calidiſſimos & maximè inflammatos humectare & refrigerare valent.

Quare cum Diaria ſit veluti immaterialis febris, nullam aliam requirit curationem, niſi refrigerationem & humectationem, nullumque denique univerſale expoſtulat præſidium; ſed ea ſolum quæ ſpiritus attemperant, & furibundos eorum motus compeſcunt, ne in putridam tranſeat.

Sic Diariam ex obſtructione, quando videlicet conſtipatis cutis meatibus ſpiritus non tranſpirant, nec ventilantur, ſicque accenduntur, curabis auferendo obſtructiones: & ſi multi, craſſi, glutinoſique ſucci obſtructionis cauſæ ſunt: hæ auferendæ. Vt eleganter *Galenus lib.* 8 *Method. cap.* 4.

Quando verò Diaria oritur ex cruditatibus male affecto ventriculo, hic roborandus cata-

plaſmatis, unguentis, fomentis, aliiſque roborantibus auxiliis, ut oleo Maſtichino, nardino, in quibus leviter cocta fuerint coralla, ſantalorum genera, & ſimilia.

Quæ enim ex bubone oritur, curato eo, hæc ceſſat, ſed quia Diaria febris per ſe ſalubris, minime periculoſa eſt, nec lethalis; idcirco auctores de ejus curatione parum vel nihil fuerunt ſolliciti, ſed omnem operam poſuerunt ne hæc ſimplex Diaria, plurium dierum fieret: quo pacto plures autores febres pertractantes caput de febre ſanguinea ſine putredine inſtituerunt.

Cum enim ſpiritus ſint calidi ac ſicci, & ſanguis in corpore ſua copia cæteros humores vincat, idcirco quando Diaria in alias commigrat febres, quia ſpiritus calefacti alios in calefacto eſſe ponunt humores, ſanguis prius aduritur & inflammatur: quia majori quantitate in venis abundat, conceptoque ſemel vitio à ſpiritibus communicato ſua natura gliſcit, excandeſcit, fervet, atque ebullit, cujus commotu, fervoreque febris fit ſanguinea inputrida, de qua agendum modo.

## Cap. IX.

### *De Synocho ſine putredine.*

Dictas ob cauſas, *Galenus libro nono de febre*, de ſanguinea à Diaria ſuborta, latiſſimè diſputat, quam continentem vocat.

Eſt enim febris continens una acceſſio, quæ in dies plurimos porrigitur.

Triplex hujus ſpecies ab eodem *lib. 9 Meth. cap.*

*cap.* 3, conſtituitur; quoniam Synochus increſcit, vel decreſcit, vel eundem ſervat tenorem.

Græci febrem increſcentem Hagmaſticã vocant, decreſcentẽ, Peragmaſticã, & illam, quæ in eodem ſtatu ſemper permanet, Homotonã, hoc eſt, ſervantem eundem tenorem, nuncuparunt.

Hujus diviſionis hæc ratio eſto: Si enim natura humorem vincit reſolvitque, febris fit decreſcens, ſi magis additur quam reſolvatur, fit accreſcens; Si tantum reſolvitur quantum adjicitur, fit Homotona.

Hæc febris magni fervoris eſt atq incendii. Huic pulſus adſunt maximi, celeres, vehementes frequenteſque. Calor ad tactum gignitur mordax & acris. Totius corporis rubedo adeſt. Vrina ardet. Præ ſanguinis copia totius corporis inflatur habitus. Pruritus totius adeſt. Laſſitudo ſentitur vulceroſa. Dolent lumbi, gravatur caput.

Hæc febris increſcit Vere, occupat naturas calidas humidasque, & illos qui diu habuere ſuppreſſas ſanguineas evacuationes.

Corripit athletas, illosque qui exercitia conſueta dimiſerunt.

Hanc ſi non curaveris, in putridas commigrat, quia ſanguis qui retinetur in deteriorem naturam abit. nam quæ calida ſunt & humida in calido humidoque loco ſi remaneant, putreſcunt illico.

Deinde neglectâ febre, increſcente jam febrili calore, ſanguis commotus, inflammatus, & agitatus ad aliquam ruit partem principem, in qua fixus, inflammationes lætales committit.

Auxiliares ergo manus admovendæ citiſſimè. Et primo inſtituto optimo vitæ regimine

 potu-

potuque convenienti ex hordeo, oxalide, endivia, aliiſque humectantibus refrigerantibuſque parato ad ſanguinis miſſionem, utpote ſacram anchoram, obganniant licet ſtulti ſtolidique, ut *Iohannes Baptiſta Helmontius* cum ſociis, confugiendum mecum eſt edocto longa experientia & auctoritate invincibilis *Galeni lib. 9 Meth. cap.* 4 eam approbantis, dum ait: *etiamſi autem, nec in hoc, nec in lotio, nec in ipſa caloris qualitate indicium aliquod humorum putreſcentium apparuit, tamen optimum factu viſum eſt venam incidere, antequam putreſcat. Aufero itaque ab homine eouſque de induſtria ſanguinem, quoad animo linquatur; maximum planè ubi valentes vires ſunt.*

Sed hoc loco quæſtio agitanda: *utrum fluere liceat ſine corporis jacturâ uſque ad animi deliquium, ut ipſe ſtatuit?*

*Averrhoes* acris ingenii Medicus, ſtupidos, væſanos omitto (nam cum viro forti pugnare pulchrum eſt, ) hanc *lib. 7 colligit. cap.* 8, damnat. primo, quia ea putat plus boni ſanguinis detrahi quam mali. Secundo, quia natura rectè operans nunquam hanc vacuationem promovet, cujus vi, debilitata natura nec morbum impoſterum poterit diſſolvere, neque humores à putredine defendere. Deinde ejus placitum pluribus confirmatur rationibus: quoniam ſi hæc vacuatio, eo juvet, quia calidiſſimum corpus extracto ſanguine inflaminato refrigerat, hoc faciet etiam partita vacuatio; quam *Galenus lib. 4 de Sanit. tuenda*, partitam laudat. Denique omnem evacuationem nimiam, eſſe periculoſam *Hippoc.* 1 *Aph.* 3, *&* 2 *ejuſdem* 22 *aſſerit, quem ſequitur Gal. ſententiam lib. 9 Meth. c.* 12.

&

*& lib. de cur. per ſang. miſſ. cap.* 10. inquiens *eâ periiſſe interdum nonnullos ægros.*

Ad hæc, ſi hæc evacuatio eſſet bona, in putridis approbaſſet, iis autem non convenit, quia languent vires. cum enim putredo fiat à debilitate caloris innati, & quia ſanguis in alios convertitur humores putredine, qui non venæ ſectione evacuatur, idcirco omittenda eſt. Præterea hac evacuatione natura non levatur, ſed debilitata, inepta redditur ad humorum excretionem promovendam.

Vltimo *monet Celſus lib.* 2 *cap.* 10, ut ſemper finis fiat, antequam anima deficiat.

Sed hæc argumenta *Galeni* mentem non evertunt, quare ſic ſolvenda: Non ſolum ex utilis humoris vacuatione ſequitur animi deliquium, ſed & ex inutilis expulſione: nam ſuppurati aut aquam inter cutem patientes ſi urantur aut ſecentur, donec pus aut aqua univerſum effluxerint, moriuntur juxta dictum *Senis V Aph.* 27. *in his enim ſubitò & repentè evacuare, malum.* cum è veſtigio deficiat anima, vireſque concidant, nec poſtea debilitas tam facile remedium habeat. Deinde, licet hæc repentina vacuatio plurimum debilitet, ſi tamen conditionibus ſervandis celebretur, ita ut ſit corpus validum, robuſtum, vires conſtent, tantum abeſt ut debilitet, ut dempta copia, recreata natura peccantem humorem expellat. Et licet nimiæ evacuationi caſus virtutis adnexus ſit, tamen ea caloris nativi portio adhuc remanet, quæ ab imminente liberet periculo, quoniam *Lypothomia ſeu animi defectus eſt facultatis animalis lapſus, remanente vitali forti*; quare hanc ob cauſam Lypothomia correpti facile

recuperant vires; quia animalis deficit,& vitalis ſatiſcere incipit,hoc eſt,primus pulſus ſolum immutari incipit.

*Syncope verò eſt præceps virium lapſus,non ſolum virtutis vitalis, ſed etiam aliarum,* auctore *Galeno lib.* 12 *Meth. cap.* 1.

Quo ad reliqua ſic ſolvenda ſunt. Dicimus *Hippocratem* non prohibere vacuationes ad extremum factas,ſed ſolum pronunciare, eſſe valdep ericuloſas. Ab his ergo abſtinere oportet, niſi maxima urgeat neceſſitas; quæ ſi adſit, *Satius eſt aliquid cum periculo tentare, quam ſpe adempta ægrum ſuffocato ob ſanguinis copiam calore, certo perire; quoniam extremæ vacuationi, non niſi extremum remedium competit; quia immodicæ repetitioni, immodica convenit vacuatio;* ut optimè olim Divinus ille 2 *Aphoriſm.* 22, exclamavit, *quicunque morbi ex repletione fiunt, curat evacuatio, & illorum contrarietas.*

Sic multa fiunt certa cum noxa auxilia,periculoque evidenti,pro morte redimenda. Nonne ſtupefacientia corpori debili noxam inducunt, interdum mortem? Maximè, & tamen in vehementiſſimis doloribus, intenſis vigiliis, diuturna diſtillatione ab acri concitata humore, exhibemus ad pericula evitanda ea, quæ hiſce ſymptomatibus ſuccurrunt. Quare optimè ſummus *Magiſter* 1 *lib.* 12 *Method. cap.* 1, de ſtupefacientibus narcoticiſque medicamentis verba faciens, docuit, meliorem eſſe noxam, magiſque optanda ea,quæ ſtupefacientibus concitantur, quam certam mortem, quæ hiſce ſymptomatibus, vires neceſſario exſtinguentibus, conſequi poteſt.

Sic purgantia natura calidiſſima,in febre ar-

dentiſſima exhibemus. Quoniam ut ſcitè hic denuò notavit *lib.* 1 *Aphoriſm.* 24, *majorem oportet ex noxiorum humorum fieri evacuatione utilitatem, quam id quod neceſſario conſequitur, quam ex purgantibus medicamentis detrimentum. Idem* 10 *Method. cap.* 10, exhibet balneum frigidum hectico debili, aquæ potum uſque ad ſatietatem febri ardentiſſima laboranti.

Hæc ergo vacuatio licet parvæ vacuationis collatione facta, nimia videatur, per ſe tamen & abſolute immodica non eſt, cum immodicæ repletioni è directo repugnet.

Quid dicendum de ea in putridis? eſſe maxime neceſſariam cum *Galeno lib.* 9 *Method. cap.*4. qui ſic habet: *Servum nos poſt ſecundam noctem vidimus, in cæteris quidem omnibus jam dicto juveni ſimiliter affectum: verum putreſcentium humorum evidentes præbentem notas: itaque vena quoque huic protinus inciſa uſque ad animi defectum evacuavimus.* Quoniam, parca ſi fuerit ſanguinis miſſio, timor erat ne ſanguinis copia, vaſa rumpatur, nativus ſuffocetur calor, aut in aliquam partem decumbant principem humores totum corpus pervagantes. In Synocho verò putri vires interdum fortes habentur, quamvis ſanguis putris ſit, nec in alios converſus humores.

*Celſi* locus nos cautos reddit hujus evacuationis, pro cujus ſolutione *Balduinus Ronſeus, & Valeſius* legendi *lib.* 7 *cont. cap.* 8. *Num vero ad ſyncopen, ut volebant Barbari, mittendus ſanguis ſit?* doctiſſimus pertractat *Zacutus lib.* 1 *Hiſt. c.* 9.

*Num imputri ſynocho laboranti potus gelida ad ſatietatem propinandus?*

Quidni? hac aqua, recreata natura à calore vehe-

menti, quo premitur, protinus per ſudores perque alvum bilioſa recrementa detrudit. Teſte *Amato* 1 *centuriarum* 3. quòd aſſero propoſitis nonnullis conditionibus quas ſubjicio. Vt ſunt ætas,natura, regio,tempus.

Ideo audacter exhibe Iuveni bilioſo, in regione calida temporeque æſtivo, habitanti,potui frigidæ aſſueto: minimè ſenibus natura debilibus. Quare robuſtus æger ſit, & appareat concoctio, nullumque viſcus internum debile habeat, vel inflammatum: quoniam potus frigidæ, aſtrictione ſua humorem ineptum ad reſolutionem reddit, poros coarctando cutiſque ſpiracula obſtruendo. videat ne aliqua adſit obſtructio.

*Num ante concoctionem exhibenda gelida*? Non, præſente inflammatione, & concoctione viſa exhiberi hunc potum, firmat *Galenus*; attamen coacte & neceſſitate urgente,ad hecticam præcavendam datur in initio morbi, incoctaque urina, ut ille teſtatur *libro* 10 *Methodi, cap.* 6. & 11 *Method. cap.* 5.

Hæc curam ſpectant generalem. Sequitur nunc ejus particularis curatio, quæ exorditur, reſervata bona diæta, à medicamentis, & præcipue à clyſteribus attemperantibus & emollientibus, ut ſi quæ ſuperſunt excrementa in prima corporis regione, evacuentur, & ne alia excrementa in genus venoſum rapiantur. Clyſteris forma hæc eſto.

℞. Herbarum Malvæ,
Violariæ,
Parietariæ,
Mercurialis, ana M. j.
Lactucæ,

En-

Endiviæ, ana, m. Sem.
Pruna num. x.
Coquantur S. A. in s. q. aquæ hordei ad uncia ix. Col. adde
El. Diacatholici uncias ij.
Olei violacei unc. Sem.
Salis com. drach. j.
Miſce. f. clyſter.

Injecto enemate, attemperandus ſanguis erit potionibus refrigerantibus; quæ

℞. Hordei mundati uncias ij.
Herbæ acetoſæ,
Endiviæ,
Boraginis ana m. j.
Tamarindorum drach. vj.
Coquantur in s. q. aquæ ad lib. ij.
Col. adde ſyr. acet. ſimpl.
Syr. è limonibus,
Syr. granatorum, ana unc. S.
Spir. Vitrioli ſcrup. S.
Miſce. f. potio.

Præparatis tandem humoribus corpus expurgandum erit leni pharmaco, quod eſt,

℞. Rhabarbari electi drach. ij. & Sem.
Cinnamomi ſcrup. S.
Macerentur per noctem ſupra cineres calidos in s. q. aquæ endiviæ. mane facta una alterave ebullitione, fiat fortis expreſſio ad Vncia ij. S.
quibus adde
El. Diacatholici.
Syr ros. lax. cum ſenis ana unc. S.
Miſce. f. hauſtus.

Plura ſequentibus inſtituemus capitibus.

## CAPUT X.

### *De Synocho cum putredine.*

DAri febrem ex putreſcente ſanguine, eamque vel Synochum, vel continentem cum putredine dici affirmat *Galenus* 9 *Meth.cap.*4.

Eſſentia ejus eſt, quod putreſcat ſanguis, vel humores omnes æquabiliter in magnis vaſis cordique proximis.

Datur enim febris altera à ſanguine putreſcenti extra vaſa, aut in vaſis minoribus, & diſtantioribus à corde, quæ non eſt continens, ſed continuas habet acceſſiones & remiſſiones, autore eodem *lib.* 2 *feb. cap.* 9. Ratio eſt, quia ſanguis putreſcens extra vaſa facilius citiuſque in bilem convertitur, quia magis relinquitur à gubernatione naturæ; vel quia major eſt extra vaſa prohibita ventilatio, quam intra, ut ſupra de putredine docuimus.

Signa ejus ſunt, pulſus celeres, magni, vehementes, tactus inſuavis, acer, & mordax, urina cruda, rubedo corporis, ejus laſſitudo, venarum tumor, oculi rubentes.

Hujus febris præſagia ſunt (licet febris ſanguinea mitior aliis ſit continuâ nempe, bilioſâ, & melancholica, quia ſanguis natura ſua mitis eſt) mala, quandoquidem nulla fit declinatio quæ ſentitur, ſed ſemper à principio ad criſin ſimilis perſeverat.

Id mecum Paulus voluit *lib.* 2, *cap.* 17, dicens Synochum putridam eſſe acutam & ardentem. Hæc enim à quantitate caloris vocatur ardentiſſima, attamen ab aliis acutie differt,

quo-

quoniam hæ Synocho putri duratiores ſunt, quia qualitate ardentiores. Vltimo febris hæc inflammationes internas, pleuræ,pulmonis,hepatis, lienis, ventriculique plerumque comitatur.

*Num febris ex ſanguine orta putrido, ſanguinea, bilioſa, vel Melancholica nuncupanda* cum *Galeno lib.* 11 *de diff. feb. cap.* 9.

*Reſp.* Sanguinem aut eſſe in via ad putredinẽ, aut ſimiputrem,aut omnino putrem. Si ſanguis vergat ad putredinem,tota ſua diſpoſitione talis eſt. Si ſemiputris ſit,ſit illa ſanguinea,de qua modo agimus,à bilioſa & melancholica diſtincta. Sed ex ſanguine omnino putri corruptoque, & qui jam prorſus degeneravit, corrupta forma in alios humores, ex eo non generatur ſanguinea,ſed bilioſa, maligna,& omnino præternaturalis.

Hæc per contraria curatur: denſitas rarefacientibus, conſtrictio aperientibus, abundantia vacuantibus, craſſitudo diſſecantibus, lentor detergentibus. Nota tamen in omnibus febribus à copia ſubortis prius vacuandum, quam deobſtruendum eſſe, quoniam detergentibus, vacuata ſolâ humoris parte tenuiori,reliquum veluti induratum remanet, obſtructionesque accumulantur magis. Quapropter in initio hujus febris facta prius conſideratione victus, rerumque non naturalium,quas in omnium febrium curatione ſemper obſervandas docemus, depoſitis prius primæ regionis excrementis clyſtere vel balneo, tundenda vena eſt baſilica dextri lateris ob magnum & nimium jecocris fervorem.

Num puero ſecanda vena? Reſp. Si carno-

 ſus

ſus beneque educatus ſit ſanguine abundans, intrepide hunc huic detrahes, tamen parcius quam plenitudo commonet; quoniam integra facta vacuatione vires perfacile proſternentur. Huic ſententiæ favet *Galenus lib.* I *ad Glauconem cap.* 14, inquiens: *Neque enim pueri neque ſeniores hanc ſine noxa tolerant*; nam pueri plurimum reſolvuntur, & ſenum robur integra vacuatione fatiſcit.

Si non ferant eam vires, ſenum affigantur ano hirudines, puerorum ſuris verò cucurbitulæ cum levi ſcarificatione.

Mulieribus ſuppreſſa vacuatione menſtruali vel non ex lege reſpondente, è talo mitte ſanguinem. Si vires vero imbecilles ſint, femora ſcarificabis.

Quid dicendum de gravida? Reſp. cum *Celſo. lib.* 2, *cap.* 10, docente: *firmo puero, ſeni robuſto, validæ, mulieri gravidæ, tuto venam ſecandam eſſe*: parce tamen, quia aliquid linquendum fœtui qui dulciſſimo ſanguine alitur; qui purus & lene defœcatus matris vires citiſſime reſolvit, magna quantitate detractus.

Phlebotomia facta corpus purgandum purgatione refrigerantium, roborantium, & peccantem humorem educentium. Inter expurgantia ſimplicia principem locum obtinent, Rhabarbarum, caſſia fiſtula, violæ, & illarum conſerva, nec non roſæ pallidæ, lactis caprini ſerum, myrobalani citrini. Inter compoſita ſeu confectiones, Diacaſſia, Diacatholicum, Diaprunum lax, &c. Quæ roborant & refrigerant ſunt tres flores cordiales, ſemina quatuor frigida majora & minora, Hordeum mundatum, & pruna.

Pur-

Purgato itaque humore, febris ſi adhuc reſtat, craſſum tenacemque ſæpius expurgabis humorem reiteratis præſcriptis medicamentis, vel in jure avis aut phtiſanæ aut ſero lactis infuſis: quoniam auctore *Hippocrate libro de alimento* medicamentum, in alimento optimum, magis enim id tali forma exhibitum natura amplectitur. Tali lege paratum affirmante *Meſue Tract. de medicamentis ſimplicibus* refrigerat, roborat, aperit, peccantem humorem educit, gratiuſque ad ſumendum eſt.

Hoc ſi non placeat ægris, apozemata præparanda, ex

Rad. Cichorei,
Apii,
Aſparagi,
Taraxici, ana unc.S.
Herb. Bugloſſæ,
Endiviæ,
Scorcioneræ, m. j.
Trium florum cordialiũ, ana p j.
Sem. quat. frig. maj. ana drach.j.

Quæ omnia coquantur s. a. in s. q. aquæ hordei ad lib. ij.
Colaturæ adde
Syr. acet. ſimpl.
Syr. violati ex mult. Inf.
ana Vncia, j. S.
M. fiat apozema

Sit ægro ſemper ad manum ptiſana cum ſyrupo violaceo & è limonibus.

Deinde clyſteres refrigerantes evacuanteſque in die ſemel injiciantur. quorum forma ſupra habetur.

Cætera verò ſymptomata febribus ſupervenientia

nientia quomodo curentur infra peculiari capite trademus. Sed unguenta, epythemata refrigerantia & renibus, & hepati maximè commoda ſequenti capite.

## CAPUT XI.

### *De Febre Ardenti.*

FEbris ardens, bilioſa eſt continua, nullam acceſſionem nec remiſſionem habens: continuo & indeſinenter affligens, teſte *Galeno, lib.* 2 *criſium, cap.* 6.

Hæc eſt intenſiſſimi & vehementiſſimi fervoris, ita ut aggreſſus, cauſos, hoc eſt incendium, ſeu ignis appelletur.

Hujus cauſa eſt humor bilioſus fervidus in omnibus vaſis internis, pulmonibus, ventriculo hepati, aliiſque membris præcipuis impactus.

Signa hujus affectus duo ſunt inſeparabilia relata à *Galeno*, *lib.* 4 *de ratione victus in morb. acut. Comm.* 4. calor nempe vehementiſſimus & deurens, ſitiſque incompeſſibilis.

Cum enim hic morbus fere ſemper oriatur à ſanguine bilioſo vel putreſcente vel inflammato circa vaſa maxima, arripiatque naturas calidas ſiccaſque æſtatis tempore, homines iracundos & laborioſos; ſit ut accendatur bilis, calorque acer & mordax tam in internis, quam externis partibus concitetur, ut monuit *Hippocrates lib.* 4 *citato alimentorum, textu* 1.

Febris ardens duplex eſt. Altera exquiſita, à bile flava immodice inflammata & putreſcente orta, in qua omnia concurrunt bilem generantia, temperamentum videlicet, anni tempus, regio, ætas, &c.

Altera

Altera dicitur notha ſeu ſpuria. in hac omnia mitiora apparent, quia generatur ab humore bilioſo cum mixtione pituitæ ſalſæ, quæ licet ratione ſalſedinis calida ſit, cum tamen ſit pituita, humoris acrimoniam retundit & infrænat.

De prognoſi illud primum dicendum eſt, quod ſi apparente lingua illa ſicca, aſpera, nigra & incendioſa ſit, ægerque non ſitiat, malum eſſe cum *Hippocrate lib.* 2 *Aphoriſ.* 6, quia non ſentit. & qui non ſentit ejus mens ægrotat. vel quia potentia aliqua naturalis appetens exſtincta eſt, quæ maximè ſenſibilis ſymptomata vehementiſſima non percipit. Inſuper malum eſt ſi inceperit cum rigore, nam putredinoſum humorem, bilioſum, pungentem, & inflammantem ſignificat.

Peſſimum eſt etiam extrema frigere, quoniam hoc ardorem maximum, inflammationemque vehementiſſimam arguit internam, ut *divinus* loquitur *lib.* 4 *Aphoriſm. text.* 48. hujus rei rationem tradidit *Galenus in Commento Aphoriſ.* 7, *aph* 1. dum ait: *Acutos autem vocari morbos, quorum febres magna ex parte continuæ ſunt, viſcera peruruntur, extremæ autem partes frigeſcunt propter defectum ſanguinis ad viſcera ſe recipientis; & eorum plerique neque tegumenta tolerant propter incendium quod in viſceribus ſentiunt.*

Quid dicendum de lachrymatione involuntaria cum *Hippocrate* 4 *Aphoriſm. text.* 52? debilitatem facultatis retentricis ſignificare. Quod *Galenus* etiam rectè advertit *lib.* 1 *Prognoſtic. capite* 10. & *libro* 6 *Epyd. Section.* 1, *com.* 21.

Iam

Iam ad urinam nigram. Dico cum laudato auctore illam omnium deterrimam, quandoquidem ipſe tali urina exiſtente nullum unquam ſalvatum conſpexerit, in ardentibus puta.

Eodem modo ſe habent æſtus fortis, morſus circa ventriculum & cor, convulſio, circa viſcera dolores, timores in ſomno, nariũ hemorhagia & Diarhæa ſine levamine. Quod ſi his viis bilis, ex qua febris ardens ortum traxit, expurgetur, febris interdum ſolvitur, *Teſte Hippocrate lib. 4 Aphoriſm. aph.* 58, quo ait: *à febre ardente laboranti rigore ſuperviniente ſolutio.*

Omnium horum peſſimum eſt ſi cer brum compatiatur conciteturque paraphrenitis.

Si ulla febris peculiarem expoſtulat curationem Cauſus eſt: quoniam fere ſemper & oritur & conjuncta eſt inflammationibus internis viſcerum principalium, utpote cordis, cerebri, ventriculi, hepatis, lienis, aliarumque partium. Quare primò ſit aër frigidus & humidus, vel arte paretur.

Eandem cibus facultatem habeat, cui concoquas frigida humidaque, ut lactucam, endiviam, oxalidem, pruna, poma & ſimilia. Ius pulli vel vervecis ſimilibus attemperetur, & nunquam huic adjiciatur, ut nonnulli ſolent, roſmarinus, quoniam hæc herba, licet cardiaca ſit, & nativa quadã proprietate nonnulla membra principalia roboret, calida ſiccaque eſt, teſte *Dioſcoride lib.* 3, *de mal. medica cap.* 73.

Aqua ſit puriſſima. abſtineant à vino. Sed utantur decocto hordei cum foliis acetoſæ, endiviæ, prunis, & modico aceti. Depoſita alvo, de venæ ſectione cogitandum eſt contra quam plurimos cæcutientes, & præcipue contra aſel-

lum

lum quendam, qui auſus eſt contra univerſam Medicorum ſcholam ſine rationibus inſurgere, & evomere ea quæ nec à terra nec inferno unquam diglutita ſunt, qui ſi ſequentibus rationibus edoctus fuiſſet aliquid tribuiſſet huic militi glorioſo Schola medica; quarum prima eſt Avicennæ 4, 1, c. 20, qui habet, *Et ſummopere cave ne in ardentibus ægrum ad unum duarum rerum perducas, ſcilicet ad cholericorum ebullitionem, vel humorum cruditatem.* In his enim ſanguis non abundat ſed bilis, quæ alio modo domanda. ne ſcilicet extracto ſanguine, qui frænum bilis eſt, ferveat, ebulliatque. *Secunda, Cave ne ſanguinem emittas apparente urina ignea ſubtili, id eſt biliosa, quoniam timetur victoria bilis & acurias ejus:* quam ſententiam prius edoctam voluit *Galenus lib.* 2 *ad Glauconem cap.* 2. qui in Eryſipelate interdicit venæ ſectionem, *& lib.* 1 *ad eundem cap.* 9, eam vetat in Tertiana exquiſita.

Sed cum nec hæ rationes, nec ejus ſcripta, quibus ſus Minervam docere ſatagit, alicujus momenti ſint; idcirco modulo meo æquo judici brevi ſatisfaciam, ſolutionibus ex fontibus priſcorum tam Medicorum quam Philoſophorum depromptis, quæ hæ ſunt. Prima. Quando bilis in prima corporis regione eſt ambituque corporis, ſanguis autem intra venas, tunc phlebotomia celebrata, veniſque exinanitis, natura humorem bilioſum ab ambitu, ad interiores corporis ſedes ſugit, quo Cauſus vehementior fit, quem ſequuntur Cardialgia, ſyncope, animi deliquium & cordis morſus, tunc ſecanda vena non eſt.

Secunda. Avicenna nos cautos reddit, ne in præ-

præſentia bilis tantum emittamus ſanguinem quantum commonet plenitudo. Sic intelligendus Galenus : *qui lib.4 de ſanit. tuenda cap.4, ſic fatur, Quando humores recedunt parum à natura ſanguinis, audacter ſanguis mittendus eſt. Si verò magis diſtent, conſideratius agendum, ſi vero valde diſtantes, nullo modo* facienda venæſectio. Recte. nam iis virium robur non adeſt.

Sed cum raro contingat, ut bilis ſincera redundet ſeparata à ſanguine, idcirco cum *Galeno lib. laudato 4, cap.* 19, in acutis morbis ſanguinem detrahimus, ſi morbus videatur magnus, adfueritque virium robur. Sic enim ſanguis bilioſus intra viſcera vaſaque conſiſtens, educitur, refrigeratur natura, corpus humectatur, & ad temperiem priſtinam reducitur.

Facta phlebotomia, procurandum eſt refrenare bilem, ejus mordacitatẽ retundere, furioſos motus compeſcere, ejuſque acrimoniam temperare. Quod fit ſequenti medicamentorum ſerie.

℞ Herb. Acetoſæ,
Endiviæ,
Boraginis,
Lactucæ, ana, m. j.
Coquantur in s. q. aquæ hordei ad lib. ij. Col. adde
Syr. è limonibus Unc. ij.
Syr. acet. ſimpl. Unc. j.
Spir. Vitrioli, Scrup. S.
Miſce f. potio.

Vel

℞ Aquar. Boraginis,
Acetoſæ,
Endiviæ, ana, unc. x.
Syr.

Syr. è limonibus, unc. ij.
Syr. è ſucco granat. unc. j ſ.
Spir. Vitrioli ſcrup. ſ.
Miſce f. julapium.

Sub veſpera injiciendus Clyſter, qui talis eſt,
℞ fol. Malvæ,
Violariæ,
Mercurialis, ana m. j.
Furfuris,
Hordei mundi ana m. i.ſ.

Coquantur in ſ. q. aquæ ad Unc. ix.
Colaturæ adde
Elect. Diacatholici,
Diapruni lax. ana unc. j.
Olei violacei unc. ij.
Salis communis drach. j.
Miſce f. clyſter.

Mane expurgandum corpus leni benignoque pharmaco, quod
℞ Rhab. electi drach ij ſem.
Sem. Citri drach. ſem.

Macerentur ſimul per noctem in ſ. q. aquæ Endiviæ ad unc. ij. ſem. mane Colaturæ fortiter expreſſæ
adde
El. Diapruni lax. drach. iij.
Miſce f. hauſtus.

Caveat ſibi medicus à pilulis cæteriſque medicamentis calidis, quæ viſcera inflammant.
Epithema optimum, quod
℞ Pulv. Diamargariti frig.
Trochiſ. de Caphora, ana drach. j.

Ebulliant leviter in duplici vaſe in aquæ roſarum, acetoſæ, boraginis ana unc. iiij.
ad uſum cordis

Sic

Sic & Vnguentum factum ex Vnguentis
Santalorum,
Roſarum ana drach. vj.
Olei Nenupharis, unc. ſem.
Acet. Roſacei drach. ij.
Miſce ad uſum hepatis.

Emulſiones præſcribendæ.

℞. Sem. quatuor frig. Maj. ana drach. iij.
Sem. papaveris albi drach. ij.
Cum aquæ hordei lib. j. fiat
s. art. emulſio, cui adde
Sacchari candi albi drach. vj.
Aquæ roſaceæ drach. ij.
Miſce pro uſu.

Mala ſi adſit qualitas
Lapidis bezoardici ſcrup. j. exhibendus.

Sic & confectiones Alhermes & Hyachintorum permixtæ ſyrupo è limonibus, aut aranciorum.

Nonnulli interdum mannam exhibent ægris ſuis, plane contra me, nam hæc cum pinguis ſit, lenta & dulcis, facile in bilem convertitur.

Syrupus ex multiplici infuſione Violarum optimus. hæ enim retorridum humorem vehementer humectant, ſic & Syrupus roſ. laxativus.

Varietur purgatio juxta ætatem. Vnum tamen advertas quæſo, ut nutrici licet ſanæ purgationem exhibeas blandam & lenem non fortem, quoniam hæc lac nimis calefacit, ut docui in commentario meo de morbis puerorum.

Cucurbitulæ cum ſacrificationibus apponendæ, ſanguiſugæ affigendæ venis hæmorroidalibus, pedes balneis imponendi factis ex herbis

bis violariæ, lactucæ, vitis, roſarum. Nymphee, & ſimilibus.

## CAPVT XII.

### *De Tertiana Exquiſita.*

TErtiana dicitur quia de tertio in tertium; ſicut quotidiana quotidie, quartana de quarto in quartum recurrit.

Febris continua unica acceſſio eſt, & in dies multos extenſa; & intra venas eſt.

Tertiana autem extra venas eſt, & ab illa, humore non differt. Vtraque enim à flava fit bile. Tamen differunt; quoniam febris ardens in venis abit una cum ſanguine flava bile redundante & ebulliente.

Tertiana verò eandem bilem habet per totum corpus motam ac delatam; quæ auctore *Galeno lib.* 4 *Aphoriſm. Hippocratis Comm.* 59, ſeptenis circuitibus, quod longiſſimum eſt, judicatur.

Hæc dicitur exquiſita, ſeu legitima, ad differentiam Nothæ, ſed quando? cum ex flava bile ſincera, vel humore puro bilioſoque gignitur, & omnibus bilem flavam producentibus, quæ ſunt anni tempus, temperamentum, regio, anteacta vita. efficiunt etiam eam alimenta calidiſſima, ut mel, vinum antiquum, piperata aliaque calidiſſima alimenta, quæ humorem incendunt, attenuant, bilem generant, ſanguinemque inflammant.

Dixi (*Sincera*) non quod unus ſolum humor ſeparatus, & impermixtus poſſit concurrere vel conſiſtere intra vel extra venas (hic enim in folliculo fellis ſincerus reperitur) ſed quod minimum

mum alterius humoris admittat: nam hoc modo dicimus Eryſepelas à bile, Oedema à pituita, ſcirrhum à melancholia promanare. quoniam ut optimè *Galenus lib. 2 Prognoſt. Comm. 38*, tradit: *ſincerum opponitur permixto. Vinum autem ſincerum dicitur illud cui aqua permixta non eſt, aut perquam exigua.*

Sic tertiana exquiſita à bilioſo humore ſincero extra venas poſito originem ducit: & in hoc ab ardente diſtinguitur, ut dixi, quod copiam ſauguinis hæc ſibi concomitantem habet.

Signa ejus ſunt quamplurima. Huic adeſt calor mordax, ſitis vehemens, lingua aſpera & ſicca, calor inextinguibilis, vomitus in acceſſionis initio bilioſus, amarus, capitis dolor, anxietas vehemens, nauſea, urina ignea, rubra, flammea, crocea: quæ omnia bilioſum humorem redundare manifeſte oſtendunt. pulſus initio acceſſionis parvus tarduſque eſt, in vigore magnus, celer, & frequens. Licet enim humor hic tantam non faciat in initio acceſſionis pulſuum compreſſionem, ut in intermittentibus, facit tamen acceſſionem, quam medici incompreſſam vocant, quæ præcipuè viſitur in iis febribus quæ ab humore tenuiſſimo originem ducunt.

Rigor in initio, & non horror, horripilatio, oſſitatio, pandiculatio, aut aliqua alia inæqualitas aliis intermittentibus concomitans, invadit. Hic concuſſio eſt totius corporis ex conſenſu frigiditatis dolorifico. Cum enim ab hepate humor bilioſus, vel in minera focoque putredinis alius quiſpiam excitetur, conante natura humorem noxium excutere, eum primo ad vias communes, ventriculum nempe & inteſtina

ſtina, expellere ſatagit, cum autem hæ partes ab humore putri mordacique irritentur & ſtimulentur, natura calorem ſanguineum ad cor tanquam ad arcem, & ſpiritum ad latebras internas viſceraque intime recondita, recolligit, quibus ibi retentis viſcera ardent, extrema autem algent & frigent: ſed poſtmodum redintegrata acie, à corde calor ſpirituſque diffuſi ſunt, natura reſipiſcit, & humorem hunc per vomitum, ſeceſſum, urinam, inſenſibilem tranſpirationẽ detrudens, reliqua extima tuetur membra, quæ fovet ac calefacit; in ea enim dimicatione & pugna rigor fit: qui in paroxiſmo febrili conſpicitur.

Hic in tertiana vehementiſſimus eſt, ſed brevis, quoniam ab humore tenuiſſimo ortum ducit, qui facile aggreditur & facile diſcutitur ob tenuitatem. In aliis verò intermittentibus rigores longiores ſunt licet hebetiores, & minus moleſtant, quia ab humore lento, craſſo, tenaci producuntur.

Quæritur, *Cur repetatur Tertiana de tertio ad tertium, quotidiana quotidie, quartana de quarto ad quartum.* *Reſp.* Cum quatuor ſint humores in corpore, ſanguis, pituita, bilis, & melancholia, & ſanguis majori abundet copiâ, quia naturæ amiciſſimus eſt, neceſſe fuit ut copia majori cæteris abundaret, ne videlicet deficiente alimento periret animal; quare non intermittentem ſed continentem facit. pituita poſt eum reliquos cum antecellat copiâ ſuâ in venis, duplici de cauſa quotidianum facit circuitum. Prima eſt, quia majori quantitate quotidie à venis ad focum tranſmittitur. Secunda, quia lenta eſt, & humida, & idcirco ob humi-

ditatem putredinis cauſis non repugnat, ſicque miſſa ad mineram putredinis putreſcit quotidie, & conſtituit circuitum quotidianum.

Sic bilis copia ſua ſuperat melancholiam, quæ idcirco de tertio in tertium repetit. Melancholia verò cum ſit humor pauciſſimus, de quarto in quartum ſufficiens quantitas demandatur ad focum, quæ cum frigida ſiccaque ſit, & ob has qualitates putredinis cauſis maxime reſiſtat (putredo autem calido & humido perficitur) denique valde terreſtris difficulter accenditur. Hiſce concludere licet contra nonnullos, circuitus febrium non occulta proprietate, ſed manifeſta fieri.

Cur autem quintanæ, ſextanæ, ſeptanæ, octanæ, nonanæ longiores faciunt circuitus quartanis? Reſpond. quia iſtarum cauſa eſt humor minor, terreſtrior, durior, qui majori temporis ſpatio cæteris indiget, prout *Avicenna* exponit 1, 4. *Tract.* 11, *cap.* 64.

Num autem omnium intermittentium ſit quintana peſſima, inter omnes appoſitè explicat *magnus Zacutus Luſitanus lib.* 1 *Hiſt.* 30.

Circuitus vel brevior eſt vel longior, prout humor vel tenuior eſt vel craſſior. Ille enim facillimè, hic difficulter expurgatur. Iuvat etjam anni tempus, ſic & amplitudo & adſtrictio pororum: per ampliores enim poros, maximèque patentes humor citius vacuatur inſenſibiliter vel ſenſibiliter per ſudorem, qui frequenter in declinatione acceſſionis tertianæ conſpicitur ex toto corpore calidus erumpens, & febrem finiens.

Prognoſticum. Tertiana febris quantum per ſe eſt, ſalubris eſt juxta dictum ſenis: *Febres*

*quo-*

*quocunque modo intermiſerint, periculo vacant*, 4. *Aph.* 43.

Quoniam intermediis diebus natura quiete fruitur, qua recreantur vires. Quare ſecuriſſima omnium eſt Tertiana exquiſita, de qua olim *Galenus lib.* 1 *Epyd. ſect.* 3, *text.* 8, ſic loquutus fuit: *Tertiana exquiſita cito judicatur, nec lethalis eſt.* Ratio eſt, quia bilis hunc morbum committens leviſſima & tenuiſſima eſt, & ideo, ut citato Aphoriſmo diximus, ſeptem circuitibus terminatur.

Si verò ulterius progredi contingat, id non natura ſua contingere certum eſt, ſed humore quodam venenoſo in corpore occultato, qui impetu rigoris motus, licet corpori impactus adhuc eſſet, horrendas affectiones excitat, & ſubito hominem necat.

Novum non eſt *Galeno lib.* 3 *de locis aff. cap.* 7. *& lib.* 6 *ejuſdem, cap.* 5. *& lib.* 1. *prorhet. ſect.* 11. *Comm.* 17, venena innaſci corpori, diuque in eo occultari, deinde qualibet data occaſione, commota, ſubito cor premere caloremque nativum devaſtare: neque nobis, qui hoc manifeſte vidimus in nonnullis, qui veluti fulmine icti, ſtatim perierunt. Nonne exemplum nobis eſt illorum qui momorſi ſunt à cane rabido, quibus venenum in corpore decem, viginti, triginta annis latitavit? Cauſam petis? Quia venenum occupabat partem debilem externam ignobilem. Vnde ergo tandem mors? ob motionem agitationemque, qua id communicatum fuit cordi. ut patefacit *Thomas à Veiga lib.* 3 *de locis, in Comm. cap.* 7. *& Mercurialis lib. de morbis Venenoſ. cap.* 14.

His determinatis ad curam veniamus. Aer,

cum humor in hac febre ſuperabundans calidiſſimus ſicciſſimuſque ſit, ad frigiditatem & humiditatem declinet, ſin minus paretur arte. Potus ſit aqua decocta hordeo. Vinum omnino fugiat. Carnes ſint optimi ſucci & diſtributionis. Somnus in acceſſione fugiendus. Victus non niſi in tempore intermiſſionis exhibendus. Primis diebus æger contentus ſit juſculo vervecino alterato endiviâ, acetosâ, boragine, lactucâ, & ſucco limonum, vel ſucco uvæ agreſtis.

Tempore acceſſionis, tametſi ſitis urgeat, nullo modo aqua frigida propinanda, ſed in declinatione cumque jam caliditas pedes occupaverit: auctore *Galeno, lib.* 1 *de vict. rat. in morb. acut. text.* 46. *Comm.* qui ſic fatur: *Quodnam igitur optimum languentibus ipſis danda alimonia tempus? Sane cum moderatiſſime habuerint tum thorax, tum venter: Deterrimum verò cum ea deterrima habuerint. Deterrime autem habent in acceſſionum principiis: moderatiſſime vero in declinatione:* quoniam in initio tertianæ epota bileſcit, febrem auget, naturamque perturbat. Huic meæ ſententiæ ſuffragatur *Hippocrates lib.* 3. *de aliment. facult. text.* 11. Quemadmodum nonnullæ guttulæ igni aſperſæ hunc augent, multæq; ipſum extinguunt: ſic pauca in initio acceſſionis ebibita, bileſcit & nocet, in declinatione verò jam recreata natura tranſpiranteque calore ſudorem promovet, & exercitationes movet.

Alvo depoſita, cogitandum eſt de ſectione venæ. Cujus *Galenus lib.* 1 *ad Glauconem cap. de tertiana exquiſita,* non meminit, forte, quia bilis Tertianam committens purgatione, & non

venæ

venæ ſectione evacuanda erat. Secundo, ſi calidis naturis ſiccisque adverſiſſima res inedia eſt, ac febrium aptiſſima cauſa, teſte laudato au- ctore *lib.* 10. *Meth. cap.* 11. quanto magis ſanguinis miſſio in tertianariis calidis ſiccisque. Tertio, Hæc fit humore bilioſo, quæ, extracto ſanguine excandeſcit magis; ut nobis demonſtratur in Eryſipelate, & muliere Romana Herpete laborante, quam Galenus expurgavit ſcammonio. omiſſa phlebotomiâ.

Fateor hiſce armamentis plurimos digladiari, ſed non ita, ut medicorum ſententiam avertant à recto curandi ſcopo, quandoquidem & ratio & experientia mihi veræ adjutrices ſunt, quibus accinctus ſi ad palæſtram literariam deſcendam non dubito, quin æquus judex palmam dabit. Ad primum hæc reſpondeo. Exquiſita licet ſit ſalubris, parvam acrimoniam nullumque periculum habeat: tamen tum ratione ſui, tum ne commigret in alios affectus periculoſiores; venam ſecandam aſſero intermiſſionis tempore, ut eâ, ſanguis ille bilioſus vacuetur Tertianæ cauſa, quæ auctore *Galeno lib.* 4 *Aphor.* 59. ab ardente non differt, quoniam hæc in venis habet una cum ſanguine flavam bilem redundantem ac motam, illa vero eandem flavam bilem cum ſanguine extra venas ebullientem: ſicut ergo febris à ſanguine bilioſo oritur, ſic etiam tertiana.

Secundo, Venæ ſectio cum evacuet omnes humores, evacuat & ſanguinem bile commixtum.

Tertio, Hæc ſanguinem evacuat ſubtilem, qui deinceps convertitur in bilem. Ergo evacuat cauſam antecedentem bilis. Ideo quæ no-

bis propoſita ſunt parvi vel nullius momenti eſſe ſtatuimus, proinde illa ita ſolvenda docemus.

Primum quod ſpectat, ſcilicet quod *Galenus* in tertiana exquiſita ſanguinem non traxerit. Verum quidem eſt, quare? quia illa jam omnibus lippis nempe & tonſoribus uſitata erat, id patet *lib.* 2 *Methodi*, 1, *cap.* 15. dum in omnibus febribus, tam intermittentibus, quam continuis hanc celebrandam voluit, ſub quo præcepto, meo quidem judicio, & hæc tertiana comprehenditur, licet exquiſitiſſima.

Secundum quod attinet, venæ ſectione corpus calidum & ſiccum, quale eſt tertionarium, aliquantiſper debilitari, flocci faciendum eſt, quandoquidem id non ſolum contingat Tertianis, ſed & aliis morbis. quare minori quantitate evacuandus eſt quam expoſtulat plenitudo, ut ita bilis refrænetur.

Ad Tertium. Iam dictum eſt ab humore ſolum bilioſo non fieri tertianam, ſed exactè ſanguine permixto.

Si verò Galenus locis citatis in Eryſipelate non mittit ſanguinem; duplicem rationem habet. Prima eſt, quia loquitur de Eryſipelate externo, nos vero de humore intra corpus contento bilioſo; quo redundante *Paulus* venam ſecat. *id patet lib.* 3 *c.* 8. Secunda, quia *Galenus* in Eryſipelate à mera & ſincera bile omnino à natura ſanguinis ſeparata, ſanguinem non mittit, ſed in permixta, ut phlegmonoſa, audacter revulſionis & evacuationis causâ imo ventilationis & refrigerationis.

Quo tempore mittendus ſanguis? illico, quoniam tunc fortes adſunt vires, & humor per

per putredinem nondum abit in cacochymiam, cui purgatio quadrat.

Quid dicendum de ſectione ſalvatellæ? illam eſſe optimam: quoniam affirmantibus *Traliano lib.* 8. *cap.* 12. *Paulo lib.* 3.*capit.*49. Aëtio Tetrab.1. *ſerm.* 3,*cap.* 12. *Oribaſio* 7. *coll. cap.* 5.*Hale. Abbate* 7. *practices lib.* 40. *Et Avicenna* 4,-1. *cap* 20. Illa confert affectibus Hepatis calidis, oculorum morbis, cutis fœditatibus, viſcerum calidæ imperiei, gravidarum vomitui, melancholicis affectibus, peſtiferis febribus. Quod docte ſequitur *ZacutusLuſitanus* lib. 4 hiſtor. *Comm.* 24. rationem cum cæteris reddens, quia manus dextra eſt emunctorium hepatis, ſicuti ſiniſtra lienis. Id verum eſſe teſtantur hepate & liene intemperie calidâ laborantes, quorum manus pedeſque plerumque pruritu, fiſſuris, & caliditate infeſtantur. Adjicio ego, ob conſenſum, ſectionẽ manuum fieri in balneo aquæ calentis ſicut ſectionem pedum, quem uſum approbatum habemus à *Galeno lib.* 1. *de cur. ratione capit.* 16. ubi dicit: *magis prodeſt annularis digiti ſiniſtræ manus apertio, quam interna, ſi eam ſecaveris.*

Phlebotomiâ celebratâ temperare & refrenare humorem bilioſum oportet. quod ut decenter fiat,

℞ Herb. Acetoſæ, m. ij.
Endiviæ,
Boraginis, ana m. j.
Tamarindorum unc. j.
Coquantur in s. q. aquæ hordei ad lib. ij.
Col. adde
Syr. Violacei ex mult. Inf.

Syr. è limonibus ana, unc. j.
Spir. Vitrioli Scr. Sem.
M. f. potio

Vel cum Hippocrate
℞ Decocti hordei lib. ij.
Syr. Violacei ex mult. Inf.
Syr. Acetoſi ſimpl. ana Vnc. j.
Succi aranciorum rec. Vnc. ij.
M. f. potio.

Exhibeatur ptiſana. Clyſteres, quibus maximè Galenus fidit, injiciantur tempore intermiſſionis qui
℞ Herb. Violariæ, m. ij
Mercurialis,
Parietariæ,
Betæ
Brancæ urſinæ ana. m. j.
Florum Nymphea m. ſem.
Pruna Damaſc. num. viij.
Coquantur in s. q. aquæ hordei ad Vnc. ix. Col. fort. expreſſæ
adde
El. Diacatholici
Lenitivi ana unc. j.
Olei Violacei unc. ij.
Salis drach. j.
Miſce f. clyſter.

Si tibi, auctore Galeno, concoctionis ſigna appareant, Declinatio juxta ſenis oraculum eſt 4 *Aphoriſm.* 59. & tunc poſt ſeptimum acceſſum intrepide purgatio exhibenda, quæ
℞ Rhabarb. Electi drach. ij. ſem.
Cinnamomi,
Sem. citri, ana ſcrup. Sem.
Macerentur ſimul per noctem in s. q. decocti

cti tamarindorum mane factâ unâ alterave ebullitione adde col. unc. ij. ſem. fort. expreſſ.

El. Diacatholici drach. iiij.
Syr. roſ. lax. cum ſenis unc. j.
M. f. hauſtus.

Vomitorium quadrat, quod

℞ Decocti rad. raphani ſylv. unc. iij.
Oxymellis ſcillitici unc. j.
Miſce, fiat Vomitorium, quod exhibeatur in hora paroxiſmi.

Serum lactis vaccinum primas tenet ſi alteratum ſit foliis acetoſæ, endiviæ, boraginis. poſtmodum jecur roborandum Epithematibus roborantibus & refrigerantibus, quæ

℞ Herb. malvæ,
Violariæ,
Lactucæ m. j.
Coquantur in s. q. ſeri lactis ad lib. iij, pro dicto uſu.

Decoctum Santalinum optimum eſt, utique Vnguentum infrigidans Galeni.

Renes qui ob conſenſum hepatis caleſcunt refrigerandi lacte muliebri, in ſucco omphacii, aqua roſ. oleo Nympheæ, & violaceo. Sed cave ſpinæ dorſi, quæ natura frigida cum ſit, parsque ſit nervoſa, membranoſa & frigida, facile à frigidis offenditur, juxta Hippocratis doctrinam *lib. 5. Aphoriſm.* 18. *prolatam: frigidum inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ, &c.*

Pro fine hujus capitis notandum venit, quod continuæ numerantur per dies, ſed intermittentes per acceſſiones, aſſerente *Galeno lib.* 4 *Aphoriſm.* Comm. 59. Quod enim continua

una dies poteſt, hoc in intermittentibus acceſſio, &c.

## Cap. XIII.

## *De Tertiana Notha.*

Tertianæ nothæ ſeu ſpuriæ cauſa etiam bilis eſt, ſed vitellina pituitâ permixta. Hæc bilis craſſior eſt, magiſque exaſſata. Quæ licet per ſe calidior ſit, tamen ob pituitæ commixtionem remiſſiorem calorem obtinet. Hæc majoris famæ nuncupatur: quæ diſtinguitur ab illa quæ vocatur ab Arabibus minoris famæ, cujus cauſa bilis vitellina ſucco melancholico permixta eſt:

Hæc tempore frigido naturas frigidas, humidaſque occupat, & infeſtat obeſos, albos, otioſos, ingluvieique deditos, raro natura calidos, ſiccos, quia hi potius incurrunt tertianas exquiſitas hiſce magis proportionales.

Hujus prima ſigna ſunt manuum calor non tam acris neque mordax, ut tertianæ exquiſitæ, cujus bilis longò calidior. Non incipit cum bilioſo, ſed pituitoſo vomitu: quare etiam pulſus tardior rariorque, quia humor hic frigidus in foco ſuo difficilius accenditur, qui ideo uſum ſuum non ita celeriter accelerat. Facies decolor apparet & inflata. Hypochondria diſtenduntur, lien tumet, jecur multoties inflatur, ſimiliter & ſtomachus, ob humoris crudi copiam. in ea rigor non apparet tam vehemens quam in exquiſita, quoniam materia mixta eſt, quare potius horrorem ſeu horripilationem hanc dixeris.

Hæc febris longiſſima eſt, prout *lib.* 1 *ad Glauconem cap.* 8 edocuit *Galenus* allata hiſto-

ria

ria adoleſcentis cujuſdam hac febre ſex menſes laborantis, cujus urina ſemper alba & aquoſa erat uſque ad declinationem.

Nobiliſſima hoc loco quæſtio agitanda: *Vtrum tertiana notha ſit brevior quotidiana? Avicenna*, 1, 4, *tract*. 2. *cap*. 46. ea eſt ſententia, quod tertiana notha, quotidianâ deberet eſſe celerior; quandoquidem quotidiana nullum humorem præter pituitam ſibi aſſociatum habeat, cum verò ſpuria illa bilem vitellinam, quæ pituitæ lentorem ejuſque motum incidit, accelerat, atque abbreviat.

Fateor equidem, veram debere eſſe Avicennæ doctrinam; ſed cum mihi aliæ rationes ſint, ab ejus deflecto ſententia. Et dico quod bilis vitellina, cum tenuior ſit pituita, ob mixtionem flavæ bilis, remotiſſimas partes magis penetret, in quarum meatibus ita infigitur, ut vix educi aut reſolvi queat: cum verò pituita ob craſſitiem lentoremque neque penetret, neque adhærere poris partium poſſit, ex eo tertiana longior eſt tempore univerſali & particulari quotidiana, quæ diæta medicamentiſque expurgantibus facilius ſolvitur, quod non evenit tertianis nothis ob quamplurimas obſtructiones internis viſceribus contumaciter adhæreſcentes, quæ quantum faciant ad morborum longitudinem *Galenus docuit lib*. 2 *febrium ult*. 1.

Dari partem (quam focum ſeu mineram vocant) in qua humor cumuletur, acceſſiones & circuitus morborum effecturus, oſtendit *Galenus, lib*. 2 *de diff. feb. cap. ultimo. Sed, quærendum nunc eſt in qua parte detur iſte focus ſeu minera putredinis? Reſp*. Continuas febres eadem intra venas habere, intermittentes extra venas,

ſecundum edictum *Galeni, lib* 4. *Aphoriſm.* 59, Ita prolatum : *Tertiana febris, ab ea, qua ardens nominatur humore non differt, utraque enim à flava bile fit. Differunt autem, quoniam febris ardens habet in venis una cum ſanguine flavam bilem redundantem & ebullientem, tertiana verò eandem bilem in totum corpus dicatam ac motam.* rècte: nam humor ſi ineſſet venis ob cordis vicinitatem, continuis ſuis fuliginibus excitatis putridis non intermittentem ſed continuam concitaret. Sed in hoc dubitat *Fernelius lib.* 4 *de febribus cap.* 9, & 10, aſſerens intermittentium febrium ſedem non in habitu. corporis (tertiam regionem dicunt) ſed in prima corporis regione conſiſtere. Primo, quia in acceſſionū initiis in vētriculo ſentitur dolor, mœſtitia, vomitio, nauſea, ructus, ſitis, aliaque graviora accidentia. Secundo, quia hoc docuit *divinus ſenex lib.* 4 *Aphoriſ. Aphoriſm.* 38, & 39, dum ait : *qua in parte corporis eſt ſudor aut calor aut frigus, ibi morbus eſt.*

Hanc Fernelii ſententiam magna ex parte veram eſſe lubens fatemur, quoniam experimento quotidiano videmus hoc ita fieri ; tamen non negamus & interdum uterum, renes, caput, lienē, hepar, omne genus carnoſum, ambitumque corporis etiam eſſe fontem ſeu focum putredinis, quare aſſero *Galenum* non erraſſe venas etiam magnas conſtituentem.

Sed petes *unde in intermittente febre* generantur rigores ante reditum novi caloris in paroxiſmo ?

Dicimus hoc provenire à debilitate partis cui ineſt nidor, quæ calidis ſpiritibus nudata arceſſit fuligines ab omnibus corporis partibus,

uſque ad acceſſum novorum ſpirituum, qui fuligines illas diſſipant & de novo calorem febrilem redintegrant.

Curatur tertiana notha bono regimine non ita frigido ſicut exquiſita, nam ejus cauſa pituita craſſa ac lenta eſt.

Aqua ſit decocta ſemine aniſi, glycyrrhiza, & Adiantho, Vinum poſt ſeptimam exhibeatur acceſſionem, inodorum, minuſque forte, aqua hordei, vel meliſſæ permixtum.

Demum victus ſit admodum debilis & tenuis, ſed craſſior, qui vires magis adauget, quia morbi ſtatus longior: ne ſi principio tenuiter cibemus, dejectis viribus, in ſtatu intempeſtive nutrire cogamur. Materiæ communes, prima regione contentæ, vacuandæ ſunt in initio vel leni hoc pharmaco, quod

℞ Rhabarb. electi, drach. ij.
Agarici Albiſſimi, Scrup. iiij.
Cinnamomi, Scrup. j.

Macerentur in s.q. aquæ majoranæ per noctem, mane facta una alterave ebullitione adde Col. drach. iij forti expreſſ.

El. Diacatholici drach. iij.
Miſce. f. hauſtus.

Vel Clyſtere, qui

℞ Herbarum Malvæ,
Biſmalvæ,
Violariæ,
Parietariæ,
Furfurum,
Camomillæ, ana m. j.
Sem. Carthami, unc. Sem.
Coquantur in s. q. aquæ hordei, ad unc. IX. Col. adde

Elect. Diacatholici,
Diaphœnici, ana unc. j.
Olei Violacei,
Cammomælini ana drach. vj.
Salis communis drach. j.
Miſc. f. Clyſter.

Hic incidit, flatus reſolvit, tenaces humores exſiccat. Sanguis etiam in initio mittendus, plenitudo ſi adſit, viriumque adfuerit robur, æger carnoſus. in fœminis de menſtruo ſimus ſolliciti, ſic & in gravidis, quibus ſecundum plenitudinem, ut jam ſæpius monuimus, ſanguis detrahatur.

Syrupi ad humores concoquendos exhibeantur calefacientes incidenteſque: ut ſunt ſyrupi capillorum veneris, de duabus radicibus cum aceto, ſed in mulieribus ab aceto cave: quoniam auctore *Hippocr. lib.3 de rat. vict. text.39.* hoc magis fœminis quam viris adverſatur, illo enim uterus moleſtatur, utpote nervoſus.

Peracta itaque coctione, humor iterum contumax & craſſus evacuandus præſcripto purgante. Deinde per Epycraſin, ut vires ex intervallis reficiantur: quæ à perito medico exſequuntur facile, quoniam auctore *Galeno, lib.14 meth. cap. 17. homini prudenti exercitatoque ipſa rerum natura quid agendum ſit ſuggerit.* & certum eſt hæc non tam facile vacuari ut flava bilis, nam craſſior eſt ac glutinoſior. Interim tu

℞ Rad. Cichorei unc. j.
Apii, fœniculi ana unc. Sem.
Herb. Card. Benedicti,
Endiviæ,
Majoranæ,
Adianthi albi, ana m. j.

Sem.

Sem. Carthami drach. iiij.
trium fl. Cordialium ana p j.
Coquantur omnia s. art. in s. q. aquæ hordei integri ad lib. ij.
Col. infunde per noctem
Rhab. Electi drach. iij.
Agarici albiſſimi ſcrup. iiij.
Rad. gialappæ.
Sem. aniſi, ana drach. j.
Cinnamomi, ſcrup. j. s.
Mane facta una atque altera ebullitione Colaturæ fortiter expreſſæ adde
Syr. Byzantini ſimpl.
Oxymellis ſcillitici, ana unc. j. S.
Spir. Vitrioli ſcrup. Sem.
Miſce. f. apozema.

Ex quo bibat bis in die, mane horâ ſeptimâ, à prandio horâ quartâ. Si æger deſideret pilulas, exhibeantur ipſi pilulæ Aggregativæ de Rhabarbaro, & Agarico. Sed cave tibi ab iis in febribus bilioſis, quia ob nonnulla ingredientia calida, utpote ſcamonium viſcera inflammantur & bilioſi ſucci inſtigantur.

Vomitus utilis eſt: non ciendus tamen, niſi nauſeæ præcedant. cujus formula hæc eſto:
℞ Agarici albi ſcrup. iiij.
Rad. Azari ſcrup. ij.
Fiat maceratio per noctem in aquæ Centaurei unc. iiij, mane forti expreſſioni adde oxymellis ſcillitici unc. j.
f. vomitorium.

Ius galli veteris exhibendum eſt ſingulis matutinis: hoc enim nidoroſitate quâ pollet humorem craſſum pituitoſum, & terreſtrem attemperat atque bilem evacuat, auctore *Meſue lib.*

*lib. de ſimpl. medic. titulo de jure gallorum*. Quartanariis præſtantiſſimum, hoc modo, paratum remedium eſt,

℞ Gallum veterem bene verberatum à capite, plumis, pedibus, inteſtiniſque liberatum, qui inferciatur
Rhabarbari drach. ij.
Agarici. ſcrup. iiј.
Sem. Carth. contuſi drach. iiј.
Prunis Damaſcenis xij.
Epithimo.
Trium fl. cordialium ana m. s.
Glycyrr. drach. ij.

Et in duplici vaſe coquatur in lib ij. aquæ meliſſæ donec ex omni parte molliſſime coctus ſit, tunc torculari exprimatur ſuccus, uſui reſervandus.

Serum lactis Rhabarbaro tinctum præſtantiſſimum eſt, hoc enim deobſtruit, craſſum humorem expurgat, vireſque roborat.

Laudat exercitatiſſimus *Zacutus Luſitanus* ſtillatitiam aquam Camomillæ vel ejus decoctum, hora ante paroxiſmum propinatam quã magni *Manardus fecit*, 19 *Epiſt. epiſt.* 4. Me quod attinet & feci cum ſucceſſu & ſine eo. Tamen fateor cum *Dioſcoride lib.* 3, *cap.* 137, Camomillum incidere, attenuare, concoquere, & reſolvere humorem craſſum tam per ſeceſſum & urinam, quam per ſudorem.

Sed cum huic febri nonnulla ſuperveniant ſymptomata, ut debilitas ſtomachi, hepatis & obſtructio lienis, ideo iis ſuccurrendum fomentis factis ex vino rubro, in quo decoquantur lignum aloes, ſchænantum, mentha, roſa, maſtix, corallus uterque.

Vel

Vel Emplaſtris, ſeu unguentis compoſitis ex
Vnguenti Agrippæ. unc. ij.
Olei maſtichini,
Abſinthii, ana unc. Sem.
Ligni aloes,
Pulv. ros. rub.
Coralli utriuſque præp. ana drach. j.
Et ceræ q. s.

Cui, ut exſtet emplaſtrum, augenda ceræ portio. pro ſplene verò,

℞ Vnguenti Agrippæ unc. j. Sem.
Olei capparum,
Abſinthii ana drach. ij.
Pulv. cort. rad. capparum.
Tamariſci, camomillæ,
Corallorum, roſarum
Ireos, ana drach. Sem.
Cum ceræ q. s. fiat s. a. Empl.
ſeu Vnguentum.

In ſumma, omnia ſint modicè calida & incidentia, quoniam hæc minime extrema fert frigida, ut tertiana exquiſita, cui contraria exiſtit, ut notavit *Galenus lib. 2. ad Glauconem cap. 8.*

## CAP. XIIII.

### *De Quotidiana.*

QVotidiana dicitur, quia invadit quotidie, hæc rariſſima eſt.

Hujus cauſa vel eſt interna, vel externa. Hæc comparatur ex victu crudo & frigido. Augent eam frigida temporis conſtitutio, regio frigida, præcedens victus frigidus & humidus. Interna verò eſt intemperies frigida ventriculi, & venarum

rum meſaraicarum, quæ chylum incoctum hepati ſuppeditant.

Otioſos, obeſos & inexercitatos corripit, ideoque pueris & ſenibus familiaris: illi enim ob inordinatos motus, voracitatem, atque ingluviem, multâ ſuccorum crudorum copiâ ſcatere ſolent, idcirco frigidis expoſiti ſunt morbis, ut nephritidi, lumbricis, epilepſiæ, Inflationi ventriculi. Senes quia naturâ jam frigidiores; ſed juvenes biliosâ ſiccâque conſtitutione præditi, nunquam hujuſcemodi corripi febre teſtatur *Galenus lib.* 1 *ad Glauc. cap.* 7. quem ſequitur *Fernelius lib.* 4, *de feb. cap.* 12.

Hujus febris ſigna multa ſunt. Primo enim invadit horror, non rigor. Nam hic humor cū pituitoſus ſit & putris, ægre accenditur, lignorum viridium inſtar, qui muſculoſum genus parteſque intimas obſidens, eas pungit feritque, ex quo horripilatio. Secundo pulſus eſt tardus, parvus, languidus, ſubmiſſus, & rarus, quia innatus calor frigidi viſcoſique ſucci copia opprimitur. Tertio urina alba, tenuis, aquoſa. Quarto, vomitus pituitæ, quæ ventriculum laſſeſcit graviter, ejuſque os premit, & concutit. Quinto ſyncope & animi deliquium & alia quam plurima, de quibus lege *Galenum lib.* 12 *Methodi, cap.* 3.

Periculo non vacat hæc, quia invadit hominem quotidie, ejuſque ventriculi os, cui horribilia nonnumquam ſymptomata concitat, ut ſyncopem, cardialgiam & cætera. Robore enim ejus cruditatibus iſtis obtuſo & diminuto, calor depravatur & interdum extinguitur, unde lienis hepatiſque ſcirrhus & ſæpe hydrops.

In

In acceſſione, hæc longa eſt, quippe quæ octodecim horis opus habet, quia pituita craſſa & lenta tarde accenditur pigreque movetur.

Rariſſima licet hæc febris ſit,tamen cum contingit curatur calidis & ſiccis. Quare aqua decocta ſit cinnamomo & ſemine aniſi. Cereviſia paretur lupulo & carduo benedicto. cum enim in quotidiana os ventriculi patiatur ſitque multo humore frigido imbutum, neceſſe eſt illum roborare: id cum abſinthium peragat, conſultum mihi videtur vinum rito modo paratum exhibere declinationis tempore. Ad hoc nobis exemplum *Galeni eſt*, *Imperatoris Fauſtini uxorem Ariam*, debilitate ventriculi laborantẽ, uſu vini abſinthici reſtituentis, ut gloriatur *lib. de Theriaca ad Piſonem cap.* 11.

Cibus extra acceſſionem facilis diſtributionis, qui cum *Galeno libro* 1 *ad Glauconem cap.* 20, ad incidendum ſit efficax. hoc eſt qui attenuat, calefacit, urinam movet, & aperit dandus. In quorum numero aves ſunt montanæ, agreſtes,ut columbi,paſſerculi, gallinæ, arietes.

Craſſa concoctuque difficillima & difficilis diſtributionis, ut caro vaccina, cervina,bovina & ovina vitanda, ſic & olera, caſeus, quæ præterquam quod flatulenta ſint, craſſos glutinoſoſque ſuccos generant.

In acceſſione cum ventriculi os multis cruditatibus refertum ſit, bonum eſt vomitum ciere, ex lege Hippocratis *lib.* 3, *cap.* 2. *de Diata*, aſſumptis unciis duabus oxymellis ſcillitici cum aquæ centaurii minoris ſtillatitiæ unc. iij.

Deinceps exoneranda alvus eſt clyſtere parato ex carminantibus, flatuſque diſcutientibus & pituitoſos humores vacuantibus,qui talis eſt

℞ Her-

℞ Herbarum pulegii, violariæ,
Abſinthii, malvæ,
Mercurialis, ana m. j.
Fl. Camomillæ,
Meliloti, ana m. Sem.
Sem. Aniſi, fœniculi ana drach. ij.
Coquantur in s. q. aquæ hordei ad unc. IX.
Col. fort. expreſſæ
adde
El. Benedictæ laxativæ,
Diaphænici,
Hieræ picræ, ana unc. ij.
Olei Anethini drach. ij.
Salis communis drach. j.
Miſce. fiat clyſter.

Denique purgatio levis inſtituenda primam regionem & inteſtina tenaciter impacta evacuans quod

℞ Fol. Sennæ drach. iij
Agarici albiſſ. drach. j. Sem.
Sem. aniſi drach. j.
Ebull. in s. q. aquæ meliſſæ
Ad drach. iij. col. fort. expreſſ.
adde El. Diaphœnici drach. iij.
Mellis ros. lax. unc. Sem.
Miſce. f. hauſtus.

Semper virium, ætatis, & temporis ægrotantis ratio habenda, nam ad hoc medicamenta vel augenda vel diminuenda.

Boli parandi ex El. Diaphœniconis drach. vj cum agarici trochiſcati ſcr. iiij.

Pilulæ præſcribendæ de hiera cum agarico de Rhabarbaro, aggregativo.

Plurimæ utilitatis jus galli veteris eſt cocti medicamentis carminantibus, & phlegmagogis. Po-

Potiones tales exhibendæ, quæ

℞ Radicum cichorei unc. j.
Polypodii querc.
Apii, Eryngii ana unc. Sem.
Herb. Fumariæ,
Lupulorum,
Meliſſæ,
Boraginis,
Eupatoriæ, ana m. Sem.
Sem. Fœniculi dulcis drach. ij.
Coquantur in s. q. aquæ hordei integri ad lib. ij. col. adde
Syr. Byzantini Simpl.
Mellis ros. col. ana unc. j. S.
Miſce. f. potio.

Vel

℞ Rad. Cichorei unc. j.
Herb. Abſinthii Rom.
Meliſſæ,
Calaminthæ mont. ana m. j.
Sem. Fœniculi drach. j Sem.
Coquantur in s. q. aquæ hordei integri ad lib. i Sem. col. adde
Mellis ros. col.
Syr. capill. veneris ana unc. j Sem.
Miſce. f. potio.

Vt jecur roboretur paretur Epitema.

Quod ℞ Herb. Abſinthii vulg. m. j.
Fol. roſarum rub. m. Sem.
Santali rubri drach. ij.
Cinnamomi,
Spicæ, ana ſcrup. j.
Coquantur in s. q. Vini albi ad lib. ij.
Colatura detur uſui.

Sadoriſera etiam exhibenda, ut Theriaca. E-
lect.

lect. Diaſcordii, & lapis bezoardicus. Stomachus ſimilibus roborandus unguentis, emplaſtris, vel fomentis ſtomachicis.

Vnguentum ſit tale,

℞ Olei Cydoniorum,
Abſinthii,
Myrtillorum, ana unc. S.
In quibus ebull. leviter
fol. rós. Rub.
Comarum abſinthii ana p. j.
Santalorum rubrorũ drach. ij.
Coralli rubi drach. j.
Spicæ nardi ſcrup. j.
Ab Ebullitione exprimantur.
Expreſſis adde
Ceræ flavæ drach. ij.
Pro Vnguento.

Emplaſtro adde plus ceræ.

Fomentum fiat ex iis quæ præſcripſimus pro Epitemate.

Tabellæ confortantes optimæ.

℞ Spec. Aromatici ros.
Diacalamnithæ anā drach. j.
Sacchari albiſſimi aqua cinnamomi diſſoluti unc.ij. fiant. s.a. tabellæ in rotulis,

Num hac febre laborantibus vena ſit ſecanda? licet Galenus ſubtacuerit, tamen experientiâ & omnium medicorum ſententiâ, detrahendus ſanguis eſt cum *eodem lib.* 11 *Methodi cap.* 15: affirmante, *ſaluberrimum eſſe in omnibus febribus venam ſcindere.* Sed dicet quiſpiam cum Avicenna: *cave ne ægrum præcipites hac ſectione ad humorum cruditatem.* Et cum Galeno: *ne mittas cum diſpendio ægri: nam crudus ſuccus habet omnes debilitandi cauſas.*

Opti-

Optimas faterer eſſe rationes Galeni & Avicennæ, ſi pituitoſus ſuccus omnino eſſet ſeparatus à ſanguine vel non exacte permixtus: Sed illo redundante una cum ſanguine horâ remiſſionis, cum eodem *lib.* 4 *de ſanitate tuenda cap* 4 reſpondendũ. *Vbi paululum vel citra ſanguinem reſtitum, vel ultro proceſſum eſt, audacter ſanguis mittendus, ubi plus, conſideratius, ubi plurimum, in his nullus omninò omittẽdus erit.* Quod denuo affirmat *lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. c.* 12. his verbis: *ubi autem multa vacuatione opus eſt, vires vero imbecilles ſunt, in iis vacuationem partiri expedit, uti nimirum & me feciſſe vidiſtis in iis, quibus crudorum inerat humorum copia. Nã pauculo ſanguine detracto, protinus mellicratum exhibeo probè coctum, aut oxiglyſum. Ac ſic rurſum ſanguinẽ minuo vel ipſo eodem nonnumquam die; interdum die poſtero, in quo iterum exhibeo propoſitorum medicamentorum copiam.* Quare venæ ſectio adminiſtranda. concludendum, morbos frigidos paulatim curandos. Cum quia vires debiles, tũ quia humores multi ſunt, qui unicâ non vacuantur vice. Quia hoc tempore, vires reficiuntur morbuſque curatur, auctore *Galeno lib.* 4 *acut. Comm.* 28. & *lib.* 6 *Epyd. ſect.* 5. *com.* 29.

## CAP. XV.

## *De Quartana.*

QVartana nuncupatur, quia de quarto, quartum invadit. Ejus cauſa eſt humor melancholicus, ſeu atra bilis multoties exuſta, quæ putris, quartanam committit. Ejus itidem cauſæ conſtituuntur multoties humores craſſi, viſcidi, lenti, qui ob debiles ventriculi concoctiones

nes

nes partiumque naturalium in prima corporis regione abundant, qui ob febrilem calorem, parte abſumpta tenuiore, frigidi, terreſtres & melancholici plerumque evadunt.

Hæc eſt duplex, altera continua; intermittens altera. Continua dicitur illa quæ nullum tempus liberum, ſeu novas acceſſiones habet, probãte *Galeno, lib.* 1 *Epyd. ſect.* 3, *com.* 2. Sed raro viſa, quoniam hic humor melancholicus pauciſſima quantitate in corpore abundat, Cujus veſtigia ſequitur hoc modo *Avicenna* 1, 4, *tract.* 2. *cap.* 4. *Alia eſt intermittens quæ frequenter viſitur in ægris, quia cum iſte humor pauciſſimus ſit, ad focum non niſi de quarto ad quartum dimandatur, quia terreſtris ac craſſus, frigidus & ſiccus, putredinisque cauſis reluctans, tardè à natura ad mineram ſeu focum putredinis emittitur; ibique per moram retentus difflari prohibitus, difficulter prä craſſitie accenditur, tardeque putreſcit, qui putridus, febrem committit quartanam.*

Signa hujus febris late proponuntur à *Galeno lib.* 2. *Criſium. lib.* 2 *de diff. febr. c.* 5. 1 *ad Glauconem c.* 6. & *ab Avicenna* 1, 4, *tract.* 2, *cap.* 61. Quorum primum eſt, in principio, laſſitudo ulceroſa, & pungitiva, eâ oſſa videntur frangi à vaporibus per perioſtium dimiſſis.

Secundum vomitus, Cur vomitus pituitoſi pro ſigno hujus febris ponuntur à medicis, & non bilioſi, ſi ſolum melancholicus humor in quartana abundat?

Reſp. Ob debilem concoctionem ſtomachi, qui cum cloaca phlegmatis vel pituitæ ſit, eoque abundet, tempore acceſſionis illud, ob vaporum motionem, expuit.

Tertium, Pulſus rarior, tardior, minor debiliorque

liorque viſitur,quam in aliis febribus intermittentibus, cum verò humor accenditur,magnitudinem & celeritatem adaucto uſu acquirit.

Quartum, urina tenuis, & aquoſa eſt, duplici de cauſa. Primo,quia ob copiam ſucci melancholici vitæ inimici non gignit bilioſum humorem natura debilis urinam tingentem. Secundo,quia ob obſtructiones multas non percolatur niſi quod tenue eſt. Procedente autem morbo & ſuper acta cauſa morbifica,urina apparet coloratior.

Cutis non adeo acris nec mordax, quia humor frigidus & ſiccus eſt. Venter & pedes accreſcente morbo aliquantulum intumeſcunt, flatibus diſtenti. Color albicat, Lien inflatur, & interdum Scirrho tentatur,cujus rei hæc cauſa eſt:cum enim lien,præcipua ſedes melancholicæ & quartanæ, ſit male diſpoſitus,ſuccum ab hepate non ſugit ſibi convenientē melancholicum,quo cum delectetur,& ejus parte tenuiori alatur, eo negato, debilis fit, & tunc flatuum copiam & nimiam ſucci fœdi terreſtriſque portionem attrahit, qui cum non coquatur, ipſum diſtendit & inflat. vel quia ad lienem tanquam partem debilem major humoris melancholici copia decurrit.

Denique in ventre patiuntur rugitus calidos, ructus acerbos, & depravatam appetentiam.

Si autem per vas breve humor defertur acidus,qui aciditate & aſtrictione ſua ventriculum roboret ciboſque detineat,ut ob moram melius coquantur,& ſecundario appetitum concitet,ob dictam cauſam, cur quartanarii faſtidioſi & inappetentes reperiuntur ?

D Reſp.

Reſp. In ſtatu naturali parvam quantitatem iſtius humoris à jecore ad pylorum emitti, in ſtatu verò præter naturam ſecus contingere: unde potentiæ ventriculi, retentrices nempe & concoctrices admodum debilitantur.

De prognoſi, illud ab *Hippocrate lib.* 1 *Epid. ſect.* 3. *textu* 4 accipe. *At verò omnium eſt quartana ſecuriſſima, facillima, & longa.* Et ut Galenus in commento: *Natura enim duobus intermediis diebus refocillatur, ſuoque fungitur officio, nec tantum premitur à febri.*

Dicet quiſpiam: dixiſti hanc febrem facillimam eſſe, cum tamen ob humorem craſſum, tenacem, terreſtrem, aduſtum, hujus mali legitimam cauſam, difficillimam eſſe debeat.

Reſpon. non per ſe, quia difficilis naturâ ſuâ eſt & eradicationis, ſed reſpectu quintanæ, ſextanæ, ſeptanæ, octonanæ, nonanæ, quæ longiſſimæ.

Dixiſti, inſtabit denuo, illam ſecuriſſimam. Reſp. Quidni. Naturam ejus ſi ſpectes, talis eſt. Si verò aliis complicetur morbis, & obſtructioni lienis, hepatis, naturaliumq; partium, ſit gravis ſed propter morbos concomitantes, quorum meminit ultimò citatus auctor commento laudato: quo ſic fatur: *Quandoquidem ex liene ſæpenumero homines graviter laborant quartana, ac deinde collecta aqua inter cutem occumbunt; quare ſua ſponte quartana periculo vacat, imo à magnis morbis ſæpe liberat.* ut comitiali & ſimilibus. Quare ſcitè promulgavit Hippocrates ſententiam ſuam aureā *lib.* 5. *Aph.* 70. *à quartanis capti non admodū convulſionibus capiuntur; ſi prius autem capiantur, & quartana ſuperveniat liberantur.* Ratio hæc eſt. Comitialis morbi cauſa, frigidus craſſuſq; humor cum ſit in ventricu-

triculo collectus cerebri, origines nervorum ac præcipue dorſi, medullæque primū principium occupans, duplicem expoſtulat curationē, nempe coctionem & excretionem. Hanc excitat febrilis calor, qui attenuat, diſcutit, & crudorum ſuccorum copiam humidam calefacit. illam verò rigor, quo mediante materia expellitur.

Proni aptique ad quartanam ſunt melancholici qui hirſuti ſunt, graciles, nigri, variis cogitationibus ſtudiiſque dediti, hęmorrhoidibuſque ſuppreſſis laborantes.

Pronæ ſunt in quartanas fœminæ ſuppreſſas habentes purgationes menſtruas.

*Æſtivæ quartanæ magna ex parte breves, longæ autumnales, & maximè quæ hiemem attingunt*, *auctore Divino ſene, oraculo*, 25. *lib.* 2. Rationem exoptas? in promptu eſt: quoniam Veris temperies & caliditas ſuccos diſcutit, Autumnus aſtringit; cujus virtus potentias debilitat, quoniam ut idem denuo *lib.* 3 *Aphoriſ. Aph.* 9. *Autumni morbi acutiſſimi atque exitiales maximè ex parte, qui Verè contingunt ſaluberrimi & minime exitiales.*

Curatio primo perficitur bono victus regimine qualitatibus melancholiæ contrario: quare ſuccus melancholicus frigidus & ſiccus cum ſit, victus inſtituendus eſt calidus & humidus, qui ſuccum hunc attemperat, humectat, ejuſque craſſam, ſiccam, terreſtremque naturam emollit: ut eſt aqua cocta aniſo, radicibus boraginis ſcorſoneræ. Cerviſia ſit tenuis. Vinum tenue & clarum. Cibus ſit facilis coctionis & diſtributionis. Evitet craſſa, melancholicaque cibaria, ut carnem leporinam, porcinam, hirci-

nam, taurinā & ſimilia:piſces ſalitos craſſos & magnos. olera omnia, ut braſſicam. Legumina, ut lentes,&c. fugiat animi pathemata, excandeſcentiam, iram, triſtitiam, & mærorem quæ ſanguinem adurere & incraſſare queunt.

Melancholici & quartanarii multam crudorum humorum copiam habentes curantur vel clyſtere menalagogo,vel purgatione vias communes repurgante. Hic is eſt

℞. Rad. Polipodii quer. unc. j.
Herb. Mercurialis,
Parietariæ,
Boraginis, ana m. j.
Summit. fœniculi m.s.
Sem. aniſi drach. j. s.
Coquantur in s. q. aquæ hordei ad unc. IX. col. adde
Elect. Diaphœnici unc. j.
Caſſiæ recent. ext. unc. s.
Mellis ros. col. unc. ij.
Olei roſarum unc. j.
Miſce f. Clyſter.

Illa verò talis

℞ Fol. Sennæ mund. drach. iij.
Rad. Ellebori nigri
Cremoris tart. ana ſcr. ij.
Sem. Fœniculi drach. j.
Macerentur per noctem in s. q. aquæ Fumariæ, mane col. unc. ij. s. fort. exp. adde
Elect. Diacatholici,
Conf. Hamech, ana drach. ij.
Syr. Violati ex mult. Inf. unc. s.
M. f. hauſtus.

Alvo depoſitâ ſanguinem mittere oportet,idque

que ſatis liberaliter ſecundum *Galenum lib.* 3 *de locis*, *cap.* 7, *& lib.* 1 *ad Glauconem cap.* 11, ubi ait: *Si vena inciſa niger videatur ſanguis aut craſſus audacter mittendus, quoniam nullo alio præſidio ſanguis melancholicus melius educitur quam ſanguinis miſſione.* Huic ſententiæ ſuffragantur *Paulus lib.* 2, *cap.* 23. *& Aëtius tetrab. ij. ſem.* 1. *cap.* 84.

Quartanæ in initio leniter tractentur, vel potius per Epycraſin, coquendo craſſum humorem & paulatim eum vacuando. Hoc licet multis medicamentis perficiatur; tamen optima ſunt folia ſennæ, agaricus, & mirobalani. fortia verò humorem incendunt & irritant. Quare præpara eum decoctionibus compoſitis ex Radicibus bugloſſæ, polypodii, foliis boraginis, meliſſæ, cum ſyrupis violarum ex multipl. infuſione, & regis Sabaris.

Pilulæ non admittendæ, nam præterquam quod exacerbant humorem melancholicum, etiam ipſum ſiccant ob formam ſolidam. quare cum *Galeno* loquor *lib.* 3 *de locis citato*: *Sciviſtis vos amici mei balneis humectantibus melancholiam me ſæpe perſanaſſe.*

Quid dicendum de exhibitione medicamenti purgantis in hora paroxiſmi. interdum placere, quoniam hic humor contumax & gravis cum ſit; extra paroxiſmum haud tangitur, qui cum in eo moveatur facilius rapitur & evacuatur, Auctoribus Hippocrate, Avicenna, Gentile, Herculano & Amato Luſitano.

Quid de Theriaca, inſtante rigore? vereor ne tibi id quod medicis Romanis EuſenumPhiloſophum peripateticum curantibus contigit; contingat, nempe ex ſimplice duplicem aut tri-

plicem quartanam, quoniam hæc præter ordinem modumque exhibita, ( hoc eſt in morbi initio vel paroxiſmo ) lædit, ſicuti in declinatione ſummopere auxiliatur.

Iam de ſero lactis. illud præſtantiſſimum eſt ſi ei inmacerata fuerint folia ſennæ cum manipulo ſummitatum centaurei minoris. Antimonium eſt ne tibi uſuale ? Quid ni ? de eo garriant quid velint ſtupidi, eſt tamẽ medicamentum ſingulare, Mathiolo portò familiare qui ejus vim dejectoriam admiratur maxime in hiſce affectibus melancholicis ſic & in arcuato, & comitiali.

Nonne prava edulia interdum citra propoſitum curant Medici ? Quid ni ? de iis exſtant hiſtoriæ variæ apud auctores plurimos. Quoniam illa cauſa morbi concocta, illum expellunt ſicuti inconcocta humorem augendo, necant. Vt nobis tradidit *Amatus Luſitanus ſecunda centuriarum. curat.* 42. de duobus quartanariis quorum alter ob uſum melongenarum obiit. Alter verò à quartana liberabatur. plura apud Mercatum, lib. 1 medicorum, cap. 1.

His omnibus lien ſi non rite expurgetur, vel intumeſcit vel ſcirrhoſus fit. Hunc primo emollies deinde digeres, præſcriptis medicamentis, & ejus regioni impones

Emplaſtrum, quod

℞ Empl. Diachylonis cum gummis
Oxycrocei, ana unc. s.
Pulv. rad. Capparum,
Tamariſci,
Ireos,
Aſplenii ana drach. j.
Cum oleo è capparibus fiat maſſa

quæ

quæ extendatur ſupra alutam ad
formam emplaſtri ſplenici.

Vel hanc unges hoc linimento, quod

℞ Vnguenti Agrippæ,
Dealtheæ, ana unc. j.
Succi ſummitatum ſambuci
Olei è Capparibus, ana unc. s.
Olei anethini ſtill. guttas viij.
Miſ. f. linimentum.

Vel. ℞ Vnguenti Agrippæ,
Marciaton,
Dealthea cum gum.
ana unc. s.
Oleor. Coſtini,
Scorpionum
Capparum ana drach. ij.
Olei Caryophyll. ſcrup. j.
f. linimentum.

Plura cum Deo capite de ſchirrho.

## Cap. XVI.

### *De Semitertiana.*

COmplicari febres novum non eſt, ut oſtendit *Galenus lib.* 1 *feb. cap.*4,& 2 *feb. cap.* 10 in exemplo hecticæ cum putrida complicatæ quod clarius aſſeruit *lib.* 2. *Cris. cap.* 7. quo loco permiſcentur quartana cum tertiana; continua cum intermittente, & tertiana cum quotidiana continua, ex qua reſultat ſemitertiana. De qua in præſenti ſermo erit, quam Græci hemitritæum vocarunt.

De hac febre tam priſci, quam juniores peculiarem fecerunt commemorationem, præſertim *Hippocrates in Epidem. & Galenus lib.* 2 *de Criſib. cap.* 9. & 2 *feb. cap.* 8.

Hemitritæus ergo eſt febris compoſita, ut dixi, in qua una die paroxiſmus tertianæ ſit & quotidianæ ſimul. Hanc definitionem veram eſſe aſſerunt *Galenus citatis locis*, *& Avicenna* 1-4, *tract.* 4, *cap.* 17.

Sed rogabis utrum ſemitertiana febris ſit cõtinua vel intermittens? nam *Galenus libro introductionum c.* 13, & libro de Typis hanc non ſolum inter continuas, ſed inter intermittentes numeravit. Reſp. *Annutius Fœſius in œconomo lib. Hipp. & Iohannes Gorræus lib. defin. med.* ajunt. textum corruptum eſſe, imo libellum de typis non eſſe Galeni ſed Argathini. reproba ſolutio. quare meo judicio dicendum puto, in utroque loco *Galenum* pronunciaſſe vera; quoniam libro de Typis loquitur de non exquiſita, quo pacto explanandus *Celſus lib.* 1, *c.* 3, qui eam intermittentem facit, & in Epidemiis intelligendus eſt de exquiſita.

Cauſa hujus febris nulla alia eſt, quam illa quæ tertianam facit & illa quæ quotidianam. Sicque cauſa eſt bilioſus humor pituitoſo permixtus. In qua nonnunquam bilis ſuperat pituitam, & aliquando hæc multo exceſſu bilem.

Signa ſunt tertianæ nothæ & quotidianæ. nam utraque videre licet, quoniam paroxiſmus invadit, quia ex duplici minera elevatur vapor rigorem factur us aut horrorem, quotidianæ familiariſſimus.

Proponit *Hippocrates* 1 *Epid. ſect.* 1, *comm.* 23, in hunc modum præſagium: ſemitertiana eſt horrifica, continua, acuta, non omnino intermittens, uno die levior, altero invadens gravius, & in ſumma indies acutior. *&* 1 *Epid ſect.* 3, *text.* v, hæc maxime lætalis, quoniam per totam

totam ferè acceſſionem horror producitur. & idcirco vehementiſſima adfert ſymptomata terroriſque plena. æger enim diverſimodè cõcuſſus eodem die à variis inſultibus, tertianæ nempe & quotidianæ, varioque motu humoris diverſi ad inteſtina & ventriculum vehementer perturbatus, debilior fit, ſicque elevatis vaporibus malignis, potentiæ debilitantur, & cor multipliciter premitur.

In curatione non immorabimur, quia eadem eſt, quæ debetur tertianæ nothæ & quotidianæ. quo pacto in victu cæteriſque auxiliis idem ordo ſervandus pro ut magis vel minus bilis aut pituita abundat. Hoc pacto tollendæ etiam obſtructiones ſcirrhoſæ & contumaces.

Hemitritæus malignus curatur evacuantibus, alterantibus, & cardiacis, quoniam non ſolum humorem evacuant, & contemperant, ſed malignæ venenoſæque qualitati reluctantur.

## CAPVT XVII.

## *De Quintana, Sextana, aliiſque longioribus Febribus.*

QVartana fit; quia tardè, ut dixi, humor melancholicus focum petit, qui quando minori copia, majoreque craſſitie confluit, quintanã excitat, & ſi cum maxima, ſextanam, ſeptimanam, aliaſque longiores, duce *Hippocrate* 1 *Epid. ſect.* 3, *tex.* 8, *&* 9.

Harum curationes graphice nobis ob oculos poſuit *Avicenna* 1-4. Hæ omnes non vacant periculo, quoniam mora & longitudine tandem ægros tabidos reddunt, potiſſimum quintana, harum omnium peſſima, propter va-

rias multaſque viſcerum obſtructiones. Cur autem octonona & nonana quartana periculoſiores non ſint cum fiant ex humore craſſiore magiſque aduſto, doctè inter omnes tractat *Zacutus Luſitanus lib. 1 hiſtoriarum, hiſt.* 30.

## Cap. XVIII.

## *De Febre Hectica.*

De Hecticæ febris cauſis ſigniſque ſat multa in generali febrium lectione diximus, qua oſtendimus hanc fieri poſſe incipiendo, ſed frequentius alias febres ſequi.

Cum enim febrilis ardor diu & importunè ægrorum carnes colliquet, ſanguinem humiditatemque primigeneam exiccet & reſolvat, partes pabulo ſubſtantifico orbatæ], exareſcunt, & introducta nimia ariditate ſeu ſiccitate habitualis ſubſequitur hectica. Quæ licet in principio difficulter agnoſcatur, tamen à verſato medico interdum dignoſcitur curaturque. Sed illa quæ pulſum habet debilem, frequentem, durum, parvum, rariſſimè: quoniam ſiccitas ſemel introducta eradicatur difficillimè, quia admodum reſiſtit.

Curatio primæ ſpeciei & ſecundæ, (nam tertiæ incurabilis apud medicos habetur,) perficitur præſidiis humectantibus. Etiam aër frigidus & humidus, vel arte paretur, ejuſdem qualitatis ſit cibus, præcipue facilis concoctionis & diſtributionis, cum enim viæ & extremæ partes in hectica præ ſiccitate aſtrictæ ſint, requiritur, ut alimentum ad extremas diſtantiſſimaſque corporis partes diſtribuatur. Deinde cum humiditas primigenia ſit departita & exhauſta, neceſſe eſt, ut cibus ſit glutinoſus, tenax,

nax, viſcidus. Alimenta concoctu facilia ſint, ut carnes phaſiani, caponis, gallinæ, perdicis, arietis, vervecis. Quæ verò ſuccum tenuem & tenacem gignunt ſunt jus & caro pedum crurumque arietum, vitulorum, caput vervecis, vitella ovorum, oriza, lac, & ſimilia. Lactuca, endivia, borago, bugloſſa optima. Cibaria melancholica craſſaque vitanda.

Prolixè dormiant, nam ſomnus humectat & impinguat. Vigiliæ, animique paſſiones vitandæ, purgatio fugienda, quia febris immaterialis eſt & ab humore non dependens.

*Galenus, lib. 7 Meth. cap. 6.* duo celeberrima ſtatuit remedia, balneum, & potum lactis. Hoc enim refrigerat, æſtuantem calorem, demulcet & humectat. Hepatis venarumque calorem contemperat, nutrit. Dico nutrit, non quod vere nutriat cum alimentum non ſit: ſed cum dilatat poros efficit ut alimentum ad partes nutriendas deſtinatum facilius feliciuſq; accedat, unde ejus adminiculo partes exiccatæ roborantur & vegetiores fiunt. Etiam concoquit, quia præter naturalem calorem arcet, qui cruditatis cauſa eſt. Facilitat ſputum, urinam & alvum provocat, ſitim minuit, ſomnum placidum inducit. Qualibet hora convenit hecticis jejuno ſi ſint ventriculo. vel ſi nimis debiles, ut plerumque ſolent, ſumant duabus horis ante balnei ingreſſum juſculum confortans, vel potionem & conſervam aliquam. Poſt balneum ne dormiat, quoniam hic à balneo exiccat: ſed inungatur corpus ob pororum laxitatem unguento aliquo reſumptivo, & infrigidante Galeni, cui admixta ſint olea violacea, roſacea, & ſimilia.

Vel·

℞ Vnguenti Roſarum,
Ceroti ſantalini, ana unc. ij.
Olei Nymphеæ,
Violarum, ana unc. j.
Gummi Tragachanti,
Arabici, ana drach. j.
Caphoræ ſcrup. s.
Fiat ut artis eſt Vnguentum molle.

Etiam cibi offerendi qui nutriunt, ut ſupra.

Nota multas eſſe conditiones, quas divinus exoptat *Senex, lib. 3 acut. text.* 29, dum ſic ait: *qui in morbis alvum plus juſto humidiorem habent, ii non ſunt lavandi: neque ii, quibus magis quam decet, detinetur, neque quibus vires languent: nec faſtidientes, nauſeabundi, bilioſa ructantes, nec quibus ſanguis è naribus, aut alia parte fluxerit.* Harum conditionum explicationem habet *Perada in comm. capit.* 8, *lib.* 2 *de morbis curandis paſchalii.* Cui nos ſequentia ſubjicimus, internam inflammationem, cujus cauſa balneũ incrudat, humoreſque liquat ad partem debilem fluentes, partis imbecillitatem, cujus vires enervat. Alvi fluxum quia relaxat, majorẽ fluxum provocando. Et licet hic criticus ſit, nocet tamen, quia ad cutim trahit, & naturam divertit.

Vnum hîc advertendum, Peradam cæteroſque practicos maxime erraſſe, ſtatuentes id nocivum eſſe putridis febribus, cum experientia edocti nobis aliter videre licuit, præcipuè in iis qui vires fortes, nullas internas inflammationes, humoremque concoctum habebant, in quibus certè putridis humoribus per corporis poros reſolutis, febrilem calorem diminutum, & naturam mirè refocillatam vidimus.

Illud

Illud verò,(lac puto) alimentum notiſſimũ, uſitatiſſimum, & præſtantiſſimum eſt, quare *Hippocrates lib.* 5 *Aphoriſm. text.* 64, auſus fuit lac dare tabidis & non multum febricitantibus. Id enim probi eſt ſucci, facile concoquitur, diſtribuitur facilius, avide à membris attrahitur, humiditatem deperditam citiſſimè reſtaurat, calorem nativum vivificat, corporis ariditatem reficit & impinguat, alvum provocat, ſomnum inducit, ſitim temperat. in eo tantam *Galenus* fiduciam poſuit, præcipuè in muliebri, ut dixerit ſe phthiſicos eo curaſſe, nec mirum, nam eo nutriti educati. quare naturæ noſtræ ſimillimum & naturale.

Nonnulli utuntur aſinino. hoc cum tenuiſſimum ſit, minimeque coagulatum, celeriter penetrat, benè nutrit, membra humectat, ea reficit, & humidum radicale vivificat. hoc ſequitur caprinum, cum Meſue cap. de ſero, ex nigra capra demulſum. quoniam, ut ille, ſuavius, calidius, & magis penetrans eo, quod trahitur ex alba, ſi credere fas eſt. His deficientibus ſubſtituendum eſſe ovinum & vaccinum, nonnulli autumant, ſed cum hæc ſint craſſa, lenta, & viſcida, prætereunda ſentio: quoniam crudos ſuccos generant, ex quibus in ventriculo flatus, ructus.

Semel in die aſſumatur jejuno ventriculo, ſed ſugatur è mamillis, quoniam cum ex optimis conſtet partibus, facile inquinatur, ſeminis genitalis inſtar. Errant itaque illi qui id è longinquo allatum ægris propinant.

Poſt ejus aſſumptionem duobus horis nec bibendum nec edendum, nec dormiendum, ne lac corrumpatur in ſtomacho. Tres unciæ exhiben-

hibendæ, ſingulis vicibus, idque quindecim dierum ſpatio.

Ab eo deſiſtendum, febris ſi increſcat, infletur ſtomachus, gravetur venter, profluat alvus. Si vel propter obſtructiones aliamve aliam cauſam infeſtetur Diarhæa hecticus, tunc neceſſe eſt lac chalybeare ex mandato *Galeni lib.* 10, *de ſimpl. med. facult. cap. de ſero lactis.*

Si iis ſuperveniunt tuſſes. Expectorantibus ſyrupis, eclegmatis, aliiſque arteriacis medicamentis uti oportet.

Si vigiliæ, pro uſu habe ptiſanam cum ſyrupo papaverino & Nympheæ. Tempora inunguēda oleo papaverino, nenupharino violaceo. & aliis, humoris bilioſi efficaciā retundentibus.

Si difficilis deglutitio ob ſiccitatem nimiam muſculorum, aqua hordei utendum, ſyrupo violaceo ex infuſ. multa parato permixta. Vel Emulſio exhibenda ex ſeminibus quatuor frigidis cum aqua hordei & ſyrup. violaceo, vel nenupharino concinnata.

Pars externa gutturis linienda unguento roſaceo, cum butyro, & oleo violaceo mixto.

Hectica ſi cum putrida complicatur medicos fatigat. Quoniam putrida efflagitat calida, hectica verò frigida auxilia. Hæc incraſſantia, illa deobſtruentia.

Hanc complicare oſtenſum eſt *cap.* 6. de ſignis hecticæ, quod etiam affirmat *Galenus lib.* 1 *de diff. febr. cap.* 10. exemplo cujuſdam mulieris primis quatuor diebus hectica cum putrida laborantis.

Quomodo curetur putrida, ſupra pro cujuſq; febris determinatione protulimus: nempe venæ ſectione ſi vires adſint, purgantibus auxiliis,

deter-

detergentibus & deobſtruentibus. Hectica verò poſt putridæ curationem remediis huic proficuis, ut balneo, lacte, præſidiis inſtaurantibus, & humectantibus.

## Cap. XIX.

## *De Febre peſtilenti, malignâ, & puncticulari.*

VT verò omnia procedant ordine, & ea quæ à veterum & juniorum ſcientiſſimis exarata ſunt in epilogum reducamus, oportet primo ſupponere morbos, alios eſſe communes alios particulares. Illi cauſas habent communiſſimas, de quibus *Hippocrates, lib. de flat. & lib. 2 de natura humana, text. 2 & 1, de rat. vict. text. 9.* quæ ſunt aër intemperatus in primis qualitatibus, vel ipſa ſubſtantia cum putreſcit, vel victus quo communiter omnes utuntur, ex *Galeno lib 3 epid. ſect. 3. com. 9.* Particulares verò ſunt, quæ non ex victu, aëre, originem ducunt ſed ex particulari cœli ſtatu, & particulari terræ influentia. Hic morbus dicitur collectaneus, patrius, regionalis, publicus, vernaculus, qui quovis tempore in quolibet anno, in qualibet regione invadit. Hic ut *Galenus* affirmat IX *Methodi cap. 5.* ſæpe originem duxit ex halitibus elevatis à fluviis circum vicinis, à mari quod præterlabitur mœnia civitatis, à rivulis cœnoſis, à paludibus fæculentis immundiſque. Quæ cum aërem inficiant, regionem coinquinant.

Quare ſuſcipienda à magiſtratu cura eſt, ne quid ſordidi à civibus in aquam injiciatur. Civita-

vitates exſtructæ verſus orientem magis ſalubres iis,quæ verſus occidentem. Quoniam aër qui calore ſolari juvatur, minus morbis ſcatet, quia ſol benignitate ſua ſuperfluam abſumit humiditatem, quæ in occidentali plaga degentes comitatur.

Sit in ſublimi ſita, & non in valle. quoniam hæc ſanior ob auræ difflationem: è contra, quæ in infimo loco ſita eſt, & maximè ſi propinqua ſit terræ paludoſæ, ſulphureæ & argilloſæ, atrociſſima.

Morbus particularis vocatur Endemius, ſeu Epidemicus. De quo modo dicendum. hic habet originem ex præſenti cœli ſtatu maximè præternaturali & vitioſo; qui aliqua in regione populum inficit. Et quia in peſte omnia valida, diuturna, horrenda, maligna, contagioſa; viſuntur, idcirco à *Galeno lib.* 1 *acut. com.* 9, hoc modo definitur:

*Peſtis eſt Epidemia pernicioſa, maligna, contagioſa, quæ omnes, quos corripit, interficit.*

Vt hæc definitio rectè intelligatur, diſtinctè ſingula pertractanda autumo.

Quid ſit epidimia pernitioſa colligitur ex fine, quia omnes quos arripit interficit. Neque ex hoc intelligas omnes peſte affectos occumbere, ſed omnes fere aut plures hac captos morituros. nam plures ea afficiuntur, & non moriuntur, quia,licet apti eſſent ad contagium recipiendum tamen ob virium robur evaſere, quoniam fortes vires lethales morbos vincunt. Dicitur maligna,rectè, idcirco de ejus eſſentia hoc loco paululum diſſerere lubet. Hæc enim duplex eſt, latè ſumpta, & ſtrictè.

Illa definitur à *Galeno lib.* 1 *prorhet. ſect.* 1, *comm.*

*omm.* 14, Quod ſit maligna, quæ etſi periculum minetur ſpem tamen ſalutis non adimit. Altera verò preſſe ſumpta, quod ſit lethalis, auctore eodem *lib.* 1 *cris. cap.* 5, intellige magna ex parte. Inſuper eſt contagioſa. Contagii rationem ſi ſcire affectas eam breviter explicabimus. Hæc enim putredo humoris eſt, qui in parte quapiam circumſcriptus putreſcit, ibique vapores ex ſe dimittit, qui cor nimis excalefaciunt, à quo elevatur vapor vicinum corpus infecturus. Eſſe vaporem elevatum neceſſario putridũ ratio dictat, quia ſufficiens vapor non elevatur niſi humore moto, ſed præ putredine ebulliente non poteſt moveri à calore innato: nam hic emendat malitiam fomitis, non ab extraneo comburente & valde ſicco, quia abſumit fomitem, neceſſe eſt, ut vapor qui elevatur ſit extraneus, humidus, putrefaciens.

Ejus calor propter putredinis exceſſum ab aliis differt, quorum morborum nonnulli contagioſi contagium ſervant in parte externa, ut lepra in cute, alii in parte nuda, & à qua minus immutata aura efflat, ut ophalmia, & lippitudo in oculo. Alii in exſpiratione, ut tabes & phthiſis, in quibus aura elevatur ab ulcere ſpiritalium partium, vel ab humore putrido in pectore contento, quæ per exſpirationẽ cum aëre educta ambientem inficit, hocque mediante, vicinum corpus.

Alii inficiunt contactu, ut morbus gallicus, qui impuro venereo contractu contrahitur.

Nec refert multos mori ſine peſte tempore peſtis, & ea afflictos reviviſcere. Quare, quia qui paſſurus eſt, diſpoſitionem corporis ad malum habeat neceſſe eſt. Hoc probatur experimento.

mento, videmus enim plures cum peſtilentibus converſantes raro periclitari, è contra brevi tempore cum illis commorantes, illico infici, & exſtingui.

Quæ corpora ad peſti reſiſtendum prona? quæ frigida & ſicca ſunt; ut ſenum puro victu educata. E contra calida & humida, præcipue juvenum, & illorum, quæ inexercitata & excrementis ſcatentia corpora habent.

Quæſitum eſt à ſcientiſſimis medicorum, num corpora raræ texturæ, an ſtrictorum pororum ſint peſti magis ſubjecta?

Reſp. communiter peſtem internis principiis pronatam, ſeu à veneno interno ſubortam ſtrictorum pororum corpora eſſe proniora; cum enim in iis meatus cutanei cōniveant & aſtricti ſint, non bene tranſpirant. Et ex fuliginibus putridis coarcitis calor innatus maxime languet, putredo interior intenditur, omniaque horribilia fiunt.

Si verò peſtis ab externo principio, hoc eſt aëre vitiato, ut cauſa communiſſima originem ducat, corpora latorum pororum, ſeu raræ contexturæ aptiores ſunt, quia per tranſpirationem cum aëre attracto venefica aura per latiores poros facilius ingreditur.

De anni tempore. Ver peſti aptiſſimum, præcipue ſi ſit pluvioſum, nebuloſum, & aër non benè diffletur. Tunc enim corpora calida & humida in loco calido humidoque conſtituta facile putreſcunt, & cito contagium ſuſcipiunt.

Cauſa peſtis alia eſt communis, particularis alia. illa aër ſine quo nec vivere nec reſpirare nobis licet, quem velimus nolimus ad vitam ſuſten-

ſuſtentandam attrahere debemus, & ſimul cum eo maleficam qualitatem permixtam.

Licet enim hic, ut elementum purum imputreſcibilis ſit, tamen commixtus variis exhalationibus tetris vitioſiſque vaporibus à terra elevatis inquinatur, & putreſcit.

Cauſa minus communis illa ſunt quæ aërem inficiunt, ut cadavera mortua non ſepulta, olera in agris putrefacta, aquæ ſtagnantes, immotæ, lacus in terris abſconditus, in quo piſces ſubmerſi, vel animalia, halitus ex aquis in qua cannabis & linum macerantur, platearum ſordities, latrinæ, & ſimilia.

Futuram peſtem prænuntiant duo, temporum mutationes variæ, & tranſacta fames. cum enim tempora ſuam ſervent æqualitatem, corpus noſtrum optimè regitur. Cum verò varias mutationes patitur natura, tantam haud fert inæqualitatem, quæ imbellis omnibus illico ſubcumbit cauſis.

Sed ex omnibus ſignis quæ peſtem futuram denuntiant auctore *Galeno lib. de bonitate & vitio ſuccorum capit.* 1. Fames eſt. Eum per otium lege.

Quod detur febris peſtilens ſine peſte, quæ febris maligna eſt, & non tot homines interficit, teſtatur idem *lib.* 3 *epid. ſect.* 3. *comm.* 57. Sic & peſtis ſine febre peſtilenti: quoniam multoties catarrhi viſuntur, dyſenteriæ, pleuritides, pulmoniæ peſtilentes, totius febris expertes, non tamen putredinis. Id licet ita habeatur, tamen meo judicio dicendum puto peſtem ſine febre exigua, non reperiri, vel ſi ita ſit, illa talis in initio erit, quæ proceſſu temporis apparebit fortiter, auctore *Frambosario lib. de peſte.*

Primum

Primum indicium ejus, pulſus frequens, parvus & debilis eſt. Cum enim mala qualitas radices ſuas in corpore valdè profundas egerit, cor lanciuat, premit & calefacit, quod cum expellere ſatagit noxam, malignoſque vapores, hæc pulſuum varietas ſubſequitur.

Quomodo tu, (dicet quiſpiam) indicia eſſe ſtatuas pulſus debiles, parvos, frequenteſque, ſi *Galenus* ſe ſemper exploraſſe pulſum bonum, & urinam bonam inſpexiſſe dixerit. *lib.* 3 *de præſagiis ex pulſu cap.* 3, quo inquit: *quidam ab initio ad finem uſque, alii per totum morbum habebant pulſum qui parum deflexit à naturali, qui quidem præter cæteros perierunt. & cap.* 4 *ejuſdem libri, neque ex pulſu neque ex urina nobis licuit petere in hujuſmodi affectibus firmam notitiam: quoniam colore & ſedimento ſimilis eſt naturali.* &c.

Huic ſententiæ favet *Avicenna* 1-4, *tract.* 4, *capit.* 2. de ſignis peſtilentialibus agens: *in febribus nonnullis peſtilentialibus nec æger percipit nec tangit propinquam multitudinem caloris, & non alteratur pulſus neque urina ſed anhelitus fœtet, & repente moriuntur.* Idem repetit 2-4, *tract.* 1, *cap.* 80, *Et quandoque eſt urina in ægritudinibus peſtilentialibus bona & naturalis in ſubſtantiâ ſuâ & colore & ſedimento. Et tamen tendunt ad mortem.* In promptu eſt reſponſio. etjamſi pulſus aſſimuletur pulſui naturali, tamen interdum parum ab illo diſtare Avicennæ interpretes aſſerunt hujus rei cauſam eſſe: quia natura tanto oppreſſa & devicta malo non audet pugnam aggredi, ſed ad naturales operationes ſe convertit. quæ ibi latitans fere bonum pulſum & urinam bonam præ ſe fert.

Non-

Nonnulli aliam rationem nobis tribuere: quam ego veriorẽ eſſe puto. Quæ hæc eſt, quando peſtis venenoſa ſua qualitate magis putrida cor inficit & in ejus regione hæret, & nondum humores attigerit, tũ iſti intacti, levem admodum ſeu nullam mutationem præ ſe ferunt. Sed ſi tacti veluti cor neceſſum eſt illos pati, pulſus & urinam variare & cor anguſtiare.

Peſtem conſtare exigua putredine, imo abſque illa, quia dira qualitate ſolum cor inquinatur, oſtendunt *Petrus Salius libro de febre peſtilenti cap.*15, *&* 16. *& Fernel. lib.* 2 *de Abditis rerum cauſ. cap.* 12.

Secundum eſt mitiſſimi caloris in tactu. Hæc enim febris cum maleficentiſſima ſit, ex veneno putredini commixto ſuborta, calorem non fortem ſed ſuavem mitemque concitat: huic ſuffragatur doctrinæ *Galenus lib.* 3 *de criſib. cap.* 4, his verbis. *Debiles quidem & parvæ febres quandoque valdè malignæ ſunt, calidæ, atque incidentes.*

Tertium ſignum deſumitur ex actione facultatis vitalis, quoniam cor languet, inquietudine premitur, adſunt ſyncope, animi deliquium, cordis tremor, cardialgia, inſuper cor maximũ ſemper damnum patitur, quia agens vehementiſſimum paſſum fortiter debellare contendit.

Et ut graviſſimi venti altiſſimas arbores humilibus fruticibus relictis, quatiunt; ſic venenum hoc ipſum ſanguinem omnium humorum benigniſſimum magis occupat.

Quartum. In initio peſtis, inordinati adſunt rigores, ab aura venenoſa oriundi, quæ à corporis motu elevata, muſculos concutit, unde, hanc

hanc natura expellere ſatagens, dimicatione quadam in rigorem cadit.

Quintum deſumitur ex lingua, quæ plerumque humectata initio. ratio eſt quod à mala qualitate interna, & non à ferino peſtilenti humore originem traxerit.

Sextum ex facultate animali deſumitur, nam adſunt vigiliæ, cephalalgiæ graviſſimæ, & phrenitis ab acri humore vaporeque ad caput elevato, idque lancinante, ſubortæ. qui lentoris ſi ſit particeps, cataphoram, lethargum, coma ſomnolentum inducit.

Septimum deſumitur ex facultate naturali. eorum enim excrementa ſunt fœtida, livida, nigra, ingentem putredinem indicantia. Sudor in initio inutilis & ſymptomaticus, nam fœtens eſt à mala qualitate, & humorum putreſcentium copia originem ducens. Vrina perturbata, & ob nimium ardorem ſæpe nigra, livida, & pallida.

Peſtem denotant rectè carbunculi, papulæ, aliique abſceſſus, qui germina ſunt flagrantium partium internarum. Sic & exanthemata, quæ & ſtigmata, pulicula, & puncta vocantur.

Dicitur puncticularis, quia puncta per corpus hinc inde viſuntur pulicum morſibus ſimilia. Sic & nonnumquam per totum. Hoc certum eſſe omnes medici concludunt unanimiter. & non latuiſſe id *Hippocratem*, clarè patet *lib.* 2. *Epid. ſect.* 3, quo habet: *Fiebant autem in febribus æſtivis circa ſeptimum, octavum & nonum diem, aſperitudines in cute miliaria culicum morſibus maximè ſimiles non valdè prurigioſa. Hæ perſeverabant uſque ad judicationem. Has lib.* 1 *epid. ſect.* 3, *&* 6 *ejuſdem, text.* 19. Pemphigodes: *Avicenna* 1, 4, *tract.* 4. *capit.* 2. bothor vocat.

Hæ

Hæ efflorescentiæ puncticulares ſunt duplices: vel maculæ ſive eminentiæ, ſine tumore vel aſperitate, quæ procedente morbo, ob humoris tenuitatem ſubito evaneſcunt. Aliæ verò aſperæ, cutem in tumorē elevantes, & culicum morſibus aſſimilantes, hæ multoties ulceroſæ redduntur, & peculiari chirurgi auxilio indigent. peſſimæ, ſi appareant in initio, quoniam ſignificant vehementiſſimam putredinem, peſſimamque qualitatem in corpore vigere.

Apparent in dorſo, quia regio eſt arteriæ magnæ. Erumpunt in pectore & juxta alas, quia ibi conſiſtit caloris efficacia, ob vaſa multa. Rubentes nigris meliores, quia à ſanguine, qui mitior, peſſimæ ſi quæ à melancholico ſucco, quod oraculum *Senis, lib. 6, Aphoriſm. aph.* 53. Videtur docere, his verbis: *deſipientiæ quæ cum riſu fiunt, ſecuriores, quæ verò cum ſtudio, periculoſiores.* Et ut mœſtitia in melancholia, interdum cum ſangnis aduritur, ſplendorem & lætitiæ ſigna à ſe dimittit, ſanguinei humoris germina ſe delectatur mœſtus; ſic peſtis interdum maculas rubentes, quo cor, quod alias melancholico humore peſtilentiali inquinatū, brevi extinguitur.

Quæſitum ab aliquibus num plures pejores paucioribus? *Reſp.* Si eas fert æger cum tolerantia & levamine plures ſunt meliores: ſi nullæ, peſſimæ. Sic æger interdum ſe benè habuit paucis obrutus, & cum multis illum exſtinctum vidimus.

Adſunt peſti carbones, qui non tantum humore tetro eoque melancholico & aduſto, ſed innata malitia, latenti veneno, ægrum ſubito jugulant.

Ap-

Apparent etiam variolæ & morbilli, qui veneno ſuo & putredine graviſſima non ſolum cor inquinant, ſed adeo guttur, oculos & inteſtina concutiunt, ut harum partium miros cernamus affectus, de quorum omnium cauſis, & curationibus ſequenti capite, multa latè proferemus.

De prognoſi multa ſunt recitanda, ſed cum dira, ambigua, & incerta ſint, vix quicquam ſtatuere fert animus. Scias tamen anxietatem circa præcordia cum ſyncope, animi deliquio, vigilia ſuperflua, vel ſomno profundo, puncticulis nigris, multis carbonibus eſſe peſſimam.

Alvi profluvium initio adveniens, malum, ſicut rigores inordinati, ſudoreſque ſuperflui. Quoniam fere impoſſibile eſt quid vacuari in initio ad bonum, auctore *Galeno lib.* 4 *Aph. Comm.* 22. Hæc enim ſunt judicatoria non judicantia.

Malum eſt, ſi ſanguis extractus prima vice bonus, & ſecundus pejor ſit: quia ſignificat febrem peſtiferam habere in ſe plus malignæ qualitatis, quam putredinis.

Nota, variolas ſalubriores puncticulis: quia interdum ad horum exanthematum febrem miteſcere, & illorum excretione hanc exacerbari nobis videre licuit.

Surdidates ſi quæ in declinatione ægris contigerint, plerumque bonæ: referente *Hipp. lib.* 2 *epid. ſect.* 3, *text.* 3. *& lib.* 1 *ejuſdem text.* 3, *& text.* 20. qui proprio experimento id in Epycratis uxore, & in virgine Abdera ſe vidiſſe teſtatur.

Curatio hujus febris ampla eſt. Omiſſis itaque multis ſuperfluis, ſelectiſſima proponemus. Aër ſit ſalubris, benè difflatus, locus ſit eminens, orien-

orientem verſus,ut ita attracto bono aëre ſpiritus puriores evadant; eiſque cor munitum reſiſtat imminenti & præſentaneo veneno.

Cibus ſit Euchymus, facilis concoctionis & diſtributionis, putredinem debellans. ut ſunt acida, acerba, acetoſa, quia frigida & ſicca.

In cæteris morbis juſſit *Hippocrates* in initio tenuem cibum offerre idque parce, ſed hic multum. nam vires præ mala qualitate ſævientе, illico citiſſimè deficerent. De hoc audi *Galenum*, *lib.* 3 *Epyd. ſect.* 3, *com.* 58 *exclamantem*: *fortiores ergo qui vim ſibi ipſis adferentes cibum oblatum abſumpſerunt, omnes fere ſuperſtites fuere.* Quare *Avicenna*: qui in peſte largiter *bibit editque ab ea liberatur.*

Purgandus humor eſt levi enemate ante eruptionem exanthematum: cum enim humor iſte venenoſus ſit, naturam continuo offendit, quâ deoneratâ, tantum abeſt ut humor confluxurus ad cutem, ad interiores vertatur corporis ſedes, quin potius detracta copia, ipſa alacrior reddatur. Pro præſervatione, corpus interdum catharticis electivis, ut aloe, myrrha, Rhabarbaro, & agarico purgare, optimum eſt; ut ita liberetur à vitioſis & ſuperfluis humoribus: quoniam, ut aſſerit *Galenus lib.* 1 *feb. cap.* 4, *illorum corpora jam & purgata & magis ſicca, à peſtilenti lue melius ſervabantur.*

Num in hac ſecanda vena eſt? *Reſp.* quando peſtis exſtat magis cum veneno, quam putredine, nullo modo ſecanda vena: quando tamē cum majori putredine & minus veneno ſecāda.

Quid dicendum de cucurbitulis cum ſcarificationibus? cum *Galeno* & *Oribaſio* illas eſſe præſtantiſſimas in corporibus ple-

thoricis, idque cum cautela ſumma, nam plerumque vires ſunt debiles: ſic enim humor malignus diducetur ad extremas minuſque nobiles partes.

Itaque præmiſſis univerſalibus, ad cataplaſmata, emplaſtra, cauſtica deveniendum: nam totum prius curandum eſt quàm pars: & ſi quis chirurgicorum id ritè non fecerit; humorē medicamentis, emplaſtris, cataplaſmatibus, cauſticiſque calidis ad partem trahet affectam, ad quem ſubitò fluens humor partem exſtingueret.

Idem præſtant hirudines: harum enim ſuctu humor craſſus & terreſtris extrahitur. Id patet in fœminis menſtruis reſtrictis, quæ multum ex iis levaminis ſentiunt: quod etiam approbat *Avicenna*, 4-1, *cap.* 22. ego ſoleo eas affigere carbunculis, vel bubonibus cum miraculo. Dum hæc fiunt mala qualitas domanda, & cor ut patiens roborandum.

Primum. Cardiaca offerenda, ſic & ea quæ contemperant æſtuantem calorem, eorum furorem demulcent, vires reſtaurant, ſpiritus refocillant, & maliſicam obtundunt qualitatem. In horum uſum potus fiunt varii, ſic & conſervæ, tabellæ, pulveres, opiata. Inter potiones hæc primas tenet.

℞ Aquæ hordei cum fol. card. ben.
& acetoſi lib j Sem.
Syr. è limonibus unc. iij.
Spir. vitrioli ſcrup. Sem.
m. f. potio.

Vel

℞ Rad. Enulæ campanæ, torment.
Gentianæ, Angelicæ ana drach. ij.
He rb

Herb. Scabioſæ,
Card. ben.
Acetoſæ ana m. j.
Sem. Citri drach. ij.
Cor. Citri drach. j.
Coquantur in s. q. aquæ hordei ad lib. ij. col. adde
Syr. è limonibus unc. iij.
aquæ Theriacalis unc. j.
m. f. potio.

Vel

℞ Aquarum Scabioſæ,
Boraginis,
Card ben. ana lib.ſem.
Syr. è limonibus,
Syr. è ſucco card. ben.
Sacchari perlati ana unc. j.
Spir. Vitrioli ſcrup. Sem.
m. f. julapum.

Conſervæ hæ ſunt.

℞ Conſ. Roſ. rub. antiquarum
Conſ. Boraginis
Conſ. fl. calendulæ ana unc. j.
Rad. Enul. Camp. cand. unc. ſem.
Spir. Diambræ drach. j.
Cum ſyr. è limonibus unc. j.
m. f. conſerva.

Vel ℞ Conſ. fl. Violariæ
Boraginis
Aranciorum ana unc. j.
Conſ. Alhermes drach. j.
Spec. Diamuſchi dulcis
Diamarg. frig. ana drach. j.
Cum ſyr. è limonibus unc. Sem.
f. Conſerva.

Tabellæ

℞ Sp. Diamuſci dulcis
Diambræ ana drach. j.
Lapidis bezoardici ſcr. j.
Sacchari aqua cinnamomi diſſ.
unc. ij. f. ſ. a. tabellæ in rotulis.

Vel ℞ Margarit. Pr.
Cornu cervi Pr. ana ſcr.j.ſem.
Sacch. aqua ros. diſſ. unc. ij.
f. tabellæ in rotulis.

Pulveres

℞ Sp. Diambræ.
Diamargaritonis,ana drach.j.
Lapidis bezoardici
Pulv. rad. contraiarvæ
ana ſcrup. j.
f. pulvis pro iii doſibus.

Vel

℞ Magiſterii ocul. canc.
Corallorum ana ſcrup. j.
f. pulvis.

Opiata.

℞ Cort. rad. aranciorum cond.
Rad. Enul. Camp. cond.
Nucis moſchatæ cond.
Theriac. ſen. And.
ana unc. j.
Conſ. Roſ. Rub.
Calendularum
Boraginis ana unc. Sem.
Sp. Diamargariti frig.
Diamuſchi dulcis, ana drach.
j. Sem.
Lapid. bezoardici
Rad. contraiarvæ ana ſcr. j. ſem.
Cum

Cum ſyr. de limonibus & aquæ Theriacalis ana q s.
m. f. conditum ad formam opiati.

Vel

℞ El. Diaſcordii fracaſt. unc. ſem.
Theriaces ſenioris drach. ij.
Conf. Hyachintorum drach. j.
Sp. Diamargariti frig. drach. Sem.
Perlæ præp.
Lapidis bez. ana ſcrup. j.
Cum ſyr. de ſucco Card. Ben. q. s.
f. opiatum.

Cor ungendum erit oleis corroborantibus, ut ſunt olea de ſcorpionibus, & de lumbricis. quorum virtutes celebrantur apud *Dioſcoridem, lib.6*, ab excellentiſſimo *Mathiolo* in præfatione de veneuis. Inſuper corroborandum Epythematis paratis ex aqua buglosſæ, roſarum, ſucco limonium recent. aceto roſaceo, & vino generoſo, in quibus maduere ſpecies diambræ, coralli rubri, Theriaca, & cinnamomum. Vti cordis ſic & jecoris lieniſque habenda corroborandi ratio, quoniam totius corporis uſui conducunt maximè.

Hanc truculentam veneficam luem quam plurima concomitantur ſymptomata peſſima, quorum omnium primum eſt Cephalalgia: caput enim à partibus inferioribus cucurbitulæ inſtar continuo trahens repletur pluribus quam concoqui queat, unde dolor, qui conſopiendus, leniendus, mitigandus.

Huic uſui inſerviunt ſyrupi refrigerantes, priſana, amygdalatum factum ex ſem. 4. frig. majoribus, hordeo.

Tutiſſimum eſt bregmatis oſſibus, hoc ſinciput eſt, refrigerantia imponere,nec non incraſſantia. Illa pars uti ob tenuitatem raritatemque aptiſſima eſt, ſic etiam ob futuram cronalem. hæc iſta ſunt.

℞ Olei Roſarum,
Nymphea, ana unc. ſem.
Lactis muliebris,
Aquæ roſarum,
Nympheæ, ana unc. ij.
Acet. roſacei unc. ſem.
miſce f. Embrocum.

in hoc decocto madefiat pannus groſſus qui imponatur bregmati.

Vel ℞ Herb. Malvæ,
Violariæ,
Lactucæ ana m. j.
Fl.. Nympheæ,
Roſarum rub. ana m. j.
Sem. Malvæ drach. ij.
Coquantur in s. q. lactis
Vaccini ad lib. ij. Col. adde
Olei Papaverini,
Violarum, ana unc. ij.
Acet. roſacei unc. j.
Miſce optime uſui.

Vel ℞ Farinæ Hordei unc. iiij.
Micæ panis albi unc. ij.
Pulv. Sant. rub.
Fol. ros. Rub.
Coralli rub. pp.
Pulv. Abſynthii ana drach. ij.
Cum Vnguenti populei
& olei roſacei ana unc. ij.
f. Cataplaſma.

Vel

Vel

℞ Vnguenti Roſ. unc. j.
Vnguenti populei unc. ſem.
Olei Nenupharini drach. ij.
Opii Thebaici in aceto vini
Diſſoluti grana xxij.
f. s. art. linimentum.

Si æger fuerit juvenis, vernum ſit tempus, oculi ſint rubri, hirudines pone aures, vel ipſis temporibus affigendæ, ſic enim ſanguis in remotiſſimis cerebri venis impactus, extrahitur. Nonnulli concurbitulam magnam cum ſcarificationibus multis imponunt bregmati, ſed ſumma cum cautela id tentandum, & præcipue, cum univerſalia præceſſerint, nam id tantum particulare auxilium eſt. Alii verò laudant frixiones, ligaturas, balnea lotioneſque crurum, quæ omnia à me approbantur dummodo vires ferant, quoniam humectant, divertunt humores à capite, cordeque & corpus alterant.

Secundum ſymptoma vigiliæ ſunt, quæ natura ſua vires impenſè debilitant. cum enim vita noſtra in ſanguinis ſpirituſque regeneratione conſiſtat, quæ ſomni tempore perfectius perficitur, unito in internis ſedibus innato igne, coctiones meliores, & ſpiritus lucidiores redduntur, quorum præſentia, anima & natura lætantur, unde facultates vegetiores & corpus humidius fiunt. à vigiliis ſecus accidit, hæ enim ſiccāt & abſumunt ſanguinis ſpirituſq; ſubſtantiam, quibus reſolutis debilitatur cerebrum, quod vacuum fit, & magna excrementorum copia obruitur.

Cum etiam oriantur ab vapore acri & mor-

daci meningas cerebri & ipſam ſubſtantiã pur-gente, iiſdem medicamentis à nobis ſupra præſcriptis ſuccurrendum eſt. Et interdum ſcrupulus unicus Philonii Romani, vel ad ſummum drachma ſemis ejus electuarii exhibendus, idq; aqua roſarum vel jure gallinæ.

Theriaca recens optima, ſic & requies Nicolai, aliaque ſoporifera:

Cum hæc febris pro cauſa igneum humorem habeat bilioſum & retorridum, qui os amaritudine inquinat; & corrodendo, divellendo tunicas ventriculi, linguam exiccat, ſitimque adfert; idcirco neceſſe eſt illam humectare decocto hordei vel aqua lactucæ, vel ſucco melonum, vel ſero lactis, quoniam hæc omnia bilioſum humorem in ventriculo exiſtentem temperant. Eodem modo & aphthæ curandæ, quoniam ex eodem rivulo originem trahunt, nocturno tempore clyſteres ſunt convenientiſſimi nutrientes, & refrigerantes, quales hic nobis concinnantur

℞ Herb. Malvæ,
Violariæ,
Parietariæ ana m. j.
Fl. Ros. Rub.
Nympheæ albæ ana m. S.
Hordei mundati unc. j.
Sem. 4. frig. maj. ana drach. ij.
Coquantur in s. q. juris pulli, vel gallinæ veteris ad unc. ix. Col. fort. expreſſæ adde
Mellis ros. Col. unc iij
Vitella ovorum num. ij.
Miſc. f. clyſter.

Vel

Vel.

℞ Decocti præſcripti unc. x.
Pulpæ caſſiæ,
Sacchari rubri ana drach. vj.
Mellis roſ. col. unc. j.
Vitella ovorum no. ij.
Fiat ſine ſale clyſter.

Quoniam ſic diutius retinetur, magiſque nutrit & humectat, biliosum humorem contemperat, ſomnumque provocat.

Hic humor mordax tunicas ventriculi diſtendit atque vellicat, unde ſingultus qui vomitum concitant, quo ægri defraudantur paſtu ſuo, & debilitantur. qui periculoſiſſimus, partim propter convulſiones, partim etiam propter flammeam igneamque diſpoſitionem internam, cor, cæteraque viſcera accendentem, & exſtinguentem humidum illud radicale.

Revellendus idcirco humor eſt, non purgatione (præſertim ſi recens ſingultus ſit) quia tunc major humoris copia peteret ventriculum; ſed frixionibus inferiorum partium, ligaturis, cucurbitulis, ſæpius in partibus femorum, crurumque impoſitis. Vnam magnam umbilico imponere ſingulare quid eſt.

Clyſteres poſt & ante hæc media præſcribendi, ex violis, malvis, parietaria, & ſimilibus. Cavendum ſummopere ſibi à validis, & Diacridiatis, ne humor exacerbetur: iſta ſunt Electuaria Diapruni laxativi, Diaphænici, confectio Hamech & ſimilia: illa verò, benedicta puta, ſunt Electuaria Diacatholici, Diaſebeſten, Eleſcopi, Lenitivi, & cætera.

Ventriculus conſolandus iis quæ frigida & roborantia ſunt, quorum ſylva eſt multiplex.

Scrobiculo cordis ſacculos, ex ſpeciebus Aromatici roſati Gabrielis, corallis rubris præparatis, ſantalis, maſtiche, & abſinthio, conſtructos, aceto roſaceo tepido irroratos, imponere, ſingulare præſidium eſt; ſic etiam linteum madefactum mixtione ovi conquaſſati, lactis, ſucci cydoneorum cum pulveribus præſcriptis.

Interdum Rhabarbaro purgandus æger eſt, quoniam hoc, præterquam quod Ventriculum firmat, humorem biliofum clementer expurgat.

Multoties etiam accidit, ut debilitato calore ventriculi ab ardente febre, reſolutis ſpiritibus, & depauperato calido innato, ſingultus non ab acri ſucco, ſed à flatulento vapore, vel inproſpera coctione generetur, & tunc potius abſtinendum eſt frigidis, ne impenſe debilitetur ventriculus & æger periclitetur: Sed exhibenda calida, tamen ſummo cum judicio: ut ſunt Card. Bened. agrimonia, Scordium, & Theriaces. Hic cognoſcitur crepitu,ructu,nauſea, vomitu, quo mucoſa, & pituitoſa excrementa excernuntur.hoc laborantibus adeſt oris ſputum multum,linguia humectata, ſitis nulla.

In hac truculentiſſima febri,præſertim quãdo ſanguis craſſus eſt & lentus, & hyems infeſtat, æger ſenex eſt, vel crudis ſcatet humoribus, fluxio, quæ continuo à toto, vel genere venoſo exhalat, pituitoſæ naturæ particeps, obtundendo & refrigerando altum inducit ſoporem, quẽ Græci coma ſomnolentum vocant. Hic interdum adeo profundus eſt cum exigua jugique febre perſeverans,ut lethargum ſeu inexpugnabilem dormiendi neceſſitatem introducat. Vt

ergo

ergo ex hoc nec carus, nec Cathoche, nec Apoplexia reſultet, illico illi opitulari oportet. quibus? venæ ſectione, ut fecit *Galenus lib.* 13 *Meth. cap.* 21. dum ait: *incidenda in talibus affectibus in initio ſtatim vena eſt, ſi virtus tolerat.* Hæ ſi deſint, per dorſum cucurbitulæ ſcarificatæ affigendæ; vel hæmorrhoidibus hirudines, vel fronti, vel temporibus. Nota, prælibato auctore cucurbitulam occipiti affixam efficax eſſe remedium: quippe quod ſanguinem peccantem trahit non ſolum à cerebello & cerebro, ſed etiam ex ipſis meningibus.

Sed quiſpiam dicet, purgationem primo eſſe inſtituendam cum auctoribus. Deinde deveniendum eſſe ad cucurbitulas. *Reſp.* Methodice nos eam debere præponere, ſed propter vehementiſſimum affectum, & neceſſitatem urgentiſſimam, deflexinius & incepimus bona cum ratione ab ipſo affectu & non à cauſa, hoc eſt prius ſuccurrimus cerebro cui humor actu infixus eſt; quare, morbus cum nullas dat inducias, nulla ſpectata vacuatione univerſali, urgentiori ſuccurrendum eſt, hoc nos docent apoplexia ſeva, ingens phrenitis, ſuffocans Angina, & graviſſima Epilepſia.

Interim acria enemata injicienda, æger Rhabarbaro, agarico purgandus, excitandus ſternutatoriis, ex caſtereo, pipere, ſinapi, & ſimilibus paratis. pedes fricentur frixionibus aſperis, ligaturis dolorificis, &c.

Sicut ab humore lento pituoſoq; coma, ſic ab excandeſcente & bilioſo paraphrenitis oritur, quo cerebri meninges inflammantur, principes facultates earumq; actiones pro tempore conturbantur. Diximus pro tēpore, ad diſtinctio-

nem veræ phrenitidis,quæ continuum eſt, delirium hæc vero febre declinante declinat.

Demum in paraphrenitide cerebrum per conſenſum patitur, in vera, inflammatio fixa eſt. Ne ergo ex paraphrenitide phrenitis fiat, quæ ſi ſemel arripit, interficit, auxiliari ne differas. quare propinandi potus refrigerantes, & cardiaci, ſomnus provocandus, in quo ſalus paraphreneticorum conſiſtit. fiant etiam frixiones, ligaturæ.

Clyſteres refrigerantes injiciantur nocturno tempore, poſtea aſſumat decoctum ſeminum quatuor frigidorum majorum cum ſeminibus papaveris, & ſyrupo lactucæ. Cucurbitulas & hirudines plurimũ commendamus. ſic & purgationem ex Rhabarbaro cum ſyrupo roſato laxativo, hæc enim aduſtum bilioſumque humorem detrudunt.

Denique humor à capite omni ſtudio divertendus. Bregmati imponenda ea auxilia quæ in vigiliis ſupra præſcripſimus.

Vt ſtatim diximus Ventriculum pati hac peſtifera atq; maligna febre preſſum ructus flatuſque, ſic jam dicimus hunc etiam pati faſtidium.

Cui malo acida auſteraque maxime commoda ſunt; nam hæc corrugant, contrahunt ventriculum, & appetitum excitant.

Roborantia apponenda ventriculo, cum quia bilioſum humorem retundunt, & ventriculum roborant; tum etiam, quia mucoſum humorem, flatuſque craſſos reſolvunt.

Hæc præſtant Emplaſtrum Diaphænicum *Meſues*, & Emplaſtrum ſtomachicum cui nonnulla grana ambaræ & moſchi commixta fuerint: vel ſimile Vnguentum idem efficit, quod

℞ Oleor.

℞ Oleor. Abſinthii,
Cydoniorum
Maſtichis ana unc. j.
Pulv. Abſinthii rom.
Ligni aloes,
Maſtichis,
Ros. Rub,
Menthæ, ana drach. j.
Olei ſpicæ guttas viij.
Cum Ceræ albæ q. s.
f. s. a. Vnguentum.

Vel

℞ Emplaſtri oxycrocei unc. j.
Corall. rub. pp.
Santali rubri
Ligni aloes ana drach. Sem.
Olei Cydoniorum q. s. cum guttulis x olei nucis moſchatæ & iiij ſpicæ
f. s. a. Vnguentum.

Ne vires pereant, neceſſe eſt, ſingulis quibuſque noctibus nutrientes clyſteres exhibere, quorum formulam dedimus ſupra.

Vbi igitur ſtomachus laborat, ibi plerumq; & inteſtina debilitata cernimus: hæc enim, utpote receptacula omnium excrementorum, ſtomacho debilitato plura ſalſa, bilioſaque recipiunt, quam par eſt, quæ fœtida & mordacia, ea adeo lædunt, ut ante debitum tempus excrementa natura invite dimittat; unde Diarrhæa. Hoc ſymptoma ut vehemens ita etiam periculoſum, quoniam interdum Dyſenteriam concitat. quæ ne ſubſequatur, conſultum eſt, ſtatim bilioſum humorem inteſtinorum membranis impactum abſtergere. Hoc opus perficiunt po-

ctiones, & injectiones per ſyringem. quare ſi dolor ſit ſupra umbilicum, tenuia inteſtina laborare certum eſt, quæ medicamentis ore per potiones ſeu hauſtus aſſumptis expurgantur, quæ ſunt ſyrupus roſatus laxativus, manna, jus galli, & ſimilia. Si vero infra, craſſa, quæ expoſtulant clyſteres, ſeu injectiones, ex Hordei integri lib. 1. cum mellis ros. col. unc. ij. ſem.

Tutum eſt, præmiſſis univerſalibus inteſtina tandem corroborare, & contrahere: quod efficit Rhabarbarum uſtulatum, cum myrobolanis; Cujus hæc forma eſt.

℞ Rhabarb. Electi uſtulati ſc. j. ſem.
Myrabol. Citrinorum ſcrup. ſem.
Syr. ros. è roſis ſiccis unc. ſem.
aquæ plantag. unc. iij.
m. f. hauſtus.

Hoc medicamentum non ſemel tantum, ſed ſexies ſeptieſve aſſumendum.

Æſtuante jecore, venam ſcindere, & parvam ſanguinis quantitatem trahere conſultum eſt: hujus enim beneficio tranſpirant viſcera, refrigeratur jecur, vires non debilitantur, quia paulatim trahitur, & revulſio fit præſtantiſſima. Dein jecur roborandum Vnguentis, Emplaſtris, Epythematis, & Cataplaſmatis à nobis ſupra concinnatis.

Si tamen hanc ſequatur Dyſenteria, cum eaſdem habeat cauſas, iiſdem curanda medicamentis. Vnum tamen ſolum advertas, hanc eſſe ulcus inteſtinorum: quare præter cætera medicamenta, poſt abſtergentia auxilia, exſiccantia & conglutinantia convenire; inter quæ primas obtinet lac chalybeatum, auctore *Galeno lib. 10 de ſimpl. med. facult. cap. de ſtercore canino:*

*no*: Vel illud in quo per noctem Rhabarbarum maceratum fuit.

Si verò tractu temporis debilitas augeatur, proſtrentur vires, nec ventriculus aſſumpta, ob ſanguinis penuriam, neque coquere, neque retinere poſſit, Lienteria ſequitur, qua alimentum uti eſt aſſumptum, ita expellitur, ex *eodem lib. 6 Aphoriſm. Commento. j.*

Hanc ſequitur Celiaca, in qua aliquo modo duntaxat alimentum diglutitum alteratur: quare ne corpus omnino defraudetur alimento, & contabeſcat: neceſſe eſt roborare ventriculum præſcriptis pharmacis, idque fortioribus, quia actio concoquendi abolita eſt.

Sint ergo jura ſtillatitia, quæ exhibeas, facilis concoctionis & diſtributionis; ita tamen ut iis addas quæ ventriculum adſtringunt, ut ſunt ſyrupus de mentha, cydoniorum, myrtillorum, &c.

Apponatur orificio ſtomachi unguentum *Varagnana* de caſtaneis, malaxatum moſcho, ambra, Rhabarbaro, ligno aloes, myrobolanis. Deſuper his tentatis ſumat mane cochlear myvæ cydoniorum cum ſcrupulo uno ſpecierum aromatici permixto; vel conſervam Roſarum antiquarum cum ſcrupulo pulveris maſtichis. Vinum ſi appetat, propinandum ad vires reſtaurandas, aſtringens, ſubrubrum, craſſum, ſtipticum, vel maſtiche & conſerva roſacea coctum; dein tranſcolatum.

Modo occurrunt nobis maculæ cutis, quæ à nonnullis puncticulæ vel puliculæ nuncupantur, quæ cum ſymptomaticæ ſint, ab irritata expulſæ natura, parvi habendæ, nam ſponte evaneſcunt. Solum tamen de totius providentia ſis ſollicitus:

ſollicitus: quoniam cum apparent, hunc motum licet ſymptomaticum juvare oportet cucurbitulis ſiccis & ſcarificatis, ut veneficus humor profunde corpori adhærens trahatur extra. Si vires valeant, magna plethora adſit, & febris vehementiſſima, quis non auderet aliquid ſanguinis detrahere? Noli timere humorū retroceſſum: tantum enim abeſt ut retrahatur humor, quin natura levata à ſarcina, melius expellet eum ad circumferentiam: ut probabimus Deo duce capite de variolis. etiam probo cucurbitulas & Hirudines. ſic & purgationem intra quartum & ſextum diem: nec non cardiaca, præcipue ſi nigræ vel lividæ apparent.

Præter has viſuntur parotides, quæ ad maturandum fortes expoſtulant facultates, & idcirco multoties pejores magiſque lethales ipſiſſima peſte: quare earum judicium incertum teſte *Hippocrate lib. 6 Epid. ſect.* 4, *text.* 1. etiamſi venerint ad ſuppurationem: exemplum nobis eſt pictoris ancilla apud *Galenum 6 Epid. ſect.* 1, *textu* 13. Hæ multoties mutantur in ſcirrhum, prava ulcera, & fiſtulas.

Num earum curatio tentanda reſolventibus, repellentibus, aut ſuppurantibus, dubitatur merito? Primum ergo vires ſi ſint validæ, materia venæ ſectione trahenda, docente *citato auctore, lib.* 3 *ſec. locos, cap.* 2. Si vires ſint debiles, cucurbitulæ ſcarificatæ imponendæ. Si humor ſubtilis tenuiſque ſit, quod tactu dignoſcitur, appones reſolventia, ſi vero à craſſo, ſuppurantia: nam ſi diſcutientia adminiſtres, tenuis humoris parte reſoluta, affectio remanebit indurata. Quæ autem ſit materia ſuppurantium omnes docuerunt chirurgi.

Sæ-

Sæviente calore extraneo in partibus internis, frigus partium extranearum accidit ob hanc cauſam: calor enim viſcerũ, vehementer à toto corpore per modum cucurbitulæ ſanguinem attrahit, unde peruruntur viſcera, extremæ autem partes frigeſcunt propter ſanguinis defectum, ad viſcera ſe recipientis.

Hoc ubi contigerit ſecundum oraculum ſenis, *lib. 7, Aphoriſm.* 1, prolatum peſſimum; quare fricandi pedes manuſque & extrema: cor cæteraque viſcera corroboranda cardiacis, alexipharmacis, anthidotis, quorum ſeriem ſupra late deſcripſimus.

Pro concluſione hujus atrociſſimæ peſtis adverte, nullum dari morbum cui adſunt graviora ſymptomata: quare de ægrorum ſalute, aut morte ne quidquam pronuncies antequam æger evaſerit quatuor tempora. Nam ſæpe poſt urinam coctam, & excretionem, humor aliquis latitans in partibus ignobilioribus, jam aliqua cauſa commotus febres peſſimas producit cum diſcrimine vitæ: quare, etiamſi tibi ſemper ob oculos illud conſilium *Galeni lib.* 2 *Aphoriſm. com.* 13, ponas: *quibus criſis futura, iis nox gravis ante acceſſionem eſt; quæ verò ſubſequitur, magna parte levior exiſtit*: tamen in peſte illud incertum eſſe reperies; quoniam ipſa vix certi quid nobis ſtatuit: tametſi lubens fatear me hoc oraculo plures morientes vidiſſe quam ſanitati reſtitutos.

## CAP. XX.

### *De Exanthematis.*

HIc morbus hominibus familiariſſimus eſt. Hæc ſæpiſſime ante & poſt peſtem apparebit. Hæc ut nonnunquam malignæ & peſtiferæ febris prænuncia ſunt, ſic & ejus plenaria interdum Solutio teſte *Galeno lib.* 5 *meth. cap.* 12, ita loquente: *Cæterum qui ex peſtilentia hoc vitio laborarunt, propterea mihi ſanati videntur, quod præſiccatum iis perpurgatumque totum corpus fuerit; quippe cum & vomuerint, nonnullisque venter fluxerit: Atque* cum ita jam *vacuati eſſent qui evaſuri erant, iis puſtulæ (quas exanthemata vocant) nigræ toto corpore confertim multæ apparuerunt ulceroſæ, & ſiccæ.* Per ulceroſa exanthemata, Variolas intelligit, per ſicca, morbillos.

Sunt autem morbilli, rubræ quædam cutis effloreſcentiæ per totam cutem ſparſæ, ſine aſperitate, ulcere, nec tumore, à ſanguine bilioſo ortæ.

Variolæ verò à variis dictæ ſunt papulæ ſanguineæ cum tumore in ulcera cruſtoſa deſinentes. Plura ſi ſcire aves adi *Manardum*, *lib.* 7. *Epiſt.* 2.

Horum exanthematum cauſam multi fecere variam. Communis tamen opinio, nullum hominem hæc evadere poſſe, quoniam docente *Avicenna*, 1-4. *tract.* 4. *cap.* 117, horum cauſa communis menſtruus ſanguis eſt, qui cum impurus ſit & fæculentus, totam ſanguinis maſſam inquinat.

Ad hoc inſurgunt plurimi dicentes; Si cauſa horum

horum menſtruus ſit ſanguis, cur mulieres gravidæ & aliæ, quæ menſes patiuntur, iiſdem non tentantur? Cur quadrupedum infantes, ſi quæ menſtrua habent, his non laborant? Deinde, quî fieri poteſt, quod poſt multos morbos, multaſque febres, in trigeſimum, quadrageſimum, quinquageſimum, imo ſexageſimum annum id vitium prorogetur? Quomodo quis, non modo ſemel, ſed etiam bis eodem morbo corripitur?

Horum omnium, meo quidem judicio, ſolutio facilis eſt: nam iis, quibus retinentur menſtrua, non contingunt exanthemata; quia natura utero, non cuti ſanguinem deſtinat.

Quod quadrupedum infantes ſpectat, hoc fit, quia pravus excrementitiuſque ſanguis abſumitur vel degeneratur, convertiturque in cutem craſſam, cornua, pilos, ungues.

Quod verò declinanti ætati accidunt; id rarum eſt, quoniam, natura impotens, critico modo, propter debilitatem, vel cutis craſſitiem, vel humoris viſcoſitatem, ea citius detrudere non valuit.

Latêre autem in corpore multis annis materiam venenoſam exemplis manifeſtatur: ſic hereditarii morbi, paterno ex ſemine originem trahentes multoties uſque ad vigeſimum, trigeſimum, imò quadrageſimum annum occultantur. Hi ſunt, Nephritis, Rabies, Gallicus morbus, Elephantiaſis, Podagra, &c.

Quod bis terve aliquando invadant, ratio eſt debilitas caloris; qui ea, prima vice, non expellit ſed poſtmodũ in majorem fervorem auctus, id præſtat quod prima conabatur vice. quare non abs re eſt, cauſam eorum communem ſtatuere

tuere menſtruum ſanguinem cum Avicenna: quoniam ex craſſo variolæ, & ex millioſo morbilli, oriuntur.

Hic ergo ſanguis fervens & ebulliens, criſi quadam, ut dixi, ad externas detruſus corporis partes, puſtulas generat, exanthemata dicta, quæ non ſolummodo cuti accidunt, ſed multoties etiam viſceribus, imo omnibus membris.

Cum videris pueros, aut infantes (hiſce enim ob cutis raritatem corporiſque mollitiem frequentius accidunt) rigore inordinato concuti, puta futurorum exanthematum indicium eſſe: nam prava qualitas à venenoſo humore elevata nervoſum genus ferit: huic ſigno plura alia ſi adjuncta ſint, certò exanthemata adeſſe judicabis: quorum primum dorſi dolor eſt, à gravante copia ſubortus in vena cava. Secundum, naſi pruritus ob vapores acres è ſanguine ebulliente & elevato pronatus. Tertium, timor in ſomno ob eandem cauſam. Quartum, vehemens externarum partium compunctio, à fuliginoſo igneoque vapore diſtendente, & pungente, originem ducens. Quintum, gravamen totius corporis ob ſanguinem ferveſcentem. Sextum, faciei rubor, ab eadem cauſa. Septimum, Lachrymæ involuntariæ acres & calidæ. Octavum, Febris magni fervoris, & quæ jure merito, in variolis, ſynocha nuncupanda: in morbillis verò, ardens, & acuta. Hæc omnia concomitantur anxietas, palpitatio, reſpirandi difficultas, tuſſis, raucedo, dolor pungitivus capitis, animi perturbatio, oris ſiccitas.

Malignæ variolæ ſunt, maligniores autem mor-

morbilli, quia è bilioſiſſimo oriundi ſanguine, quare eorum ſymptomata graviſſima. His, licet æger in melius tendere videatur, nunquam fides, quamvis enim humor vel reſolutus, vel in cute exiccatus ſit, tamen ex multis diverſiſque ſymptomatis diris ægros periiſſe, certum eſt. Cui numero adnumerantur angina, ulcera gutturis, Dyſenteria, Diarrhea, Tabes, phthiſis.

Hîc advertendum, Variolas majores noxas morbillis ægris impertire; quoniam illorum materia craſſior, viſcidiorque cum ſit, magis adhæreſcit & ob craſſitiem minus expurgatur morbillorum, quæ tenuior exiſtens citius movetur, & ſubducitur: quare cautè procedendum eſt in hujuſ mali præſagiis: frequentiſſimo enim experimento compertum eſt, ægris, (ſive illi adulti fuerint, ſive infantes) jam convaleſcentibus, convulſiones ſuperveniſſe, imo epilepſiam, ipſamque mortem: nec mirum. nam, hæc materia in intimis partibus inpacta qualibet data occaſione, vel novo fervore ſuborto, iterum efferveſcit, vaporemque malignum nervis communicat, qui præcedente morbo debiles, & exhauſti, facile contrahuntur.

Duplex hujus morbi curatio eſt, una ante eruptionem, alia verò poſt. Ante eruptionem; curatur ſicut ſynocha febris; quia maximus fervor eſt, magna plethora. quare cum Avicenna ſanguis extrahendus eſt intrepide, contra mentem illorum, qui humorum retroceſſum timent, quoniam, hoc ſpreto auxilio, plerumque æger copia obrutus ſuffocatur: vel nonnunquam immedicabilia ſymptomata ſubcreſcunt, quæ difficulter admodum corriguntur.

Tantum

Tantum enim abeſt, ut vena ſecta, retrocedat humor, quin potius levata ſarcina natura eum ad circumferentiam expellat: adeoque hoc verum eſt, ut etiam apparentibus exanthematis, ſi plethora adeſt, ſanguis mittendus ſit: hanc conjicies ex venarum tumore, rubore oculorum & maxillarum, caliditate, tactu mordaci, rigoribus continuis, & inordinatis.

Si vires Infantum valentes ſint, tibiarum ſcarificationes optimæ, quæ vicem venæ ſectionis gerunt, auctore *Galeno* 2 *Aphoriſm.* 17. Inſuper naturam juvant humorem trahendo ad partes externas.

Neceſſarium eſt ante eruptionem, ſanguinem hunc bullientem refrænare, quod fit refrigerantibus, quæ fiunt aquis Endiviæ, boraginis, bugloſſæ, cum ſyrupo violaceo, Endiviæ, boraginis, cave tamen ne impensè humorem refrigeres frigidis ſiccisque auxiliis; nam ſiccitate ſua humorem arctant, eumque excerni prohibent ad partes externas: & ſic humor detentus, in partibus internis acrimonia ſua viſcera rodit, inflammatque.

Humorem autem hunc, utpote venenoſum, & critico veluti modo à natura expulſum, juvandum, & ad partes externas detrahendum eſſe omnes fatentur auctores. Hoc perficies frictionibus molliſſimis ſuperficiei corporis adminiſtratis. Iuvant cardiaca, de quorum cœtu ſunt Theriaca, Mitridatium, Electuarium Diaſcordium confectiones Alhermes, & Hyachyntorum. Lapis bezoardicus optimus jure avis, vel pulli aſſumptus.

Victus parcus ſit, ne natura diſtrahatur ab excretione. Lentes licet introducant apud *Galenum*

*lenum libro* 3, *de locis capite* 7, melancholicum craſſum atque terreſtrem ſuccum, flatus obſtructio nēque gignant, tamen variolis & morbillis non ut alimentum, ſed ut medicamentum utiliſſimæ ſunt, ſi coquantur, & decoctum ſaccharo admixtum ægris offeratur.

Omnia illa vitanda quæ ventrem laxant, quoniam nihil pejus quam Diarrhea, ob humorum retroceſſum, qua plures obiiſſe experientia, proh dolor! teſtatur creberrime. Quare cibi ſint pyra aſſa, cydonia aſſa, jus lentium, panis albus aſſus. Hordiatum parandum non ex ſolo hordeo (hoc enim laxat) ſed cū ſeminibus quatuor frigidis. In initio conſervæ roſarum, ceraſorum, ribeſiarum, & Cydoniorum conveniunt.

Adverte, quod licet omnes communiter auctores ad profligandas variolas purgantia conſuluerint, ut ſunt Rhabarbarum, myrabolani, quæ læve frænum aſtrictionis penis ſe habent, tamen ab iis abſtinendū rationes ſuadent, quarum hæc prima eſt: motus naturæ cutē verſus, quem imitari debemus, repercutitur. Secunda. Quia humor venenoſus ad ventriculum & inteſtina corrivans, acrimonia & malitia ſua lethalem Diarrheam parat, & ex conſequenti funeſtam Dyſenteriam, corroſis, & ulceratis inteſtinis. Tertia, quia in manu noſtra non eſt humorem adeo furibundum ad motum, medicamento leni licet, pro noſtra voluntate expellere citra noxam. Quarta, quia ægri, qui frequenter exanthematis corripiuntur ſunt pueri, & infantes quibus purgatio, ut decet, non adminiſtratur. Si tamen triduo, aut quatriduo, quod fere accidit, ſuppreſſione alvi anxietatem

xietatem

xietatem aut tortionem ventriculi ſentiant, balano, vel emolliente clyſtere ea excitanda eſt.

Cautus etiam ſit medicus ad roboranda membra, & præcipuè oculos, qui inficiuntur albugine, caligine, ulceribus, inflammationibus, & cæcitatibus: pro horum curatione.

℞ Aquæ plantaginis,
Euphraſiæ, ana unc. iij.
Croci orientalis ſcrup. ſem.
Folia auri no. ij.
Miſce f. collyrium.

Vlcera curabis ſicut ulcera, inflammationes, ſicut inflammationes. Pectus leniendum Eclegmatis, ſyrupis Violarum, Nympheæ, Papaveris, Vngendum Vnguento reſumtivo, aut pectorali, ut ſcilicet imbibitus in Thorace humor, reſolvatur, vel concoctus per ſputum excernatur. Si verò præcaveri non poſſint Tuſſis, raucedo, & Aſthma, hæc ſicut catharros & raucedinem curabis.

Inteſtina roborabis frigidis & ſiccis, tum ut compeſcatur humor, & incraſſetur, tum ut roborentur inteſtina ne recipiant.

Si verò præcaveri non poſſit, quin accidat Diarrhea, hanc ſicut alvi profluvium curabis, ſi Dyſenteria, ut Dyſenteriam.

Adverte ultimo, quod ægri exanthematis prehenſi ponātur in cubiculo calido & obſcuro, involvanturque rubris pannis; quoniam hæc ſanguinem movent, & humores extra alliciunt.

Si tamen contingat, quod humor ob craſſitiem non ſuppuret, timorque ſit, quod acrimonia ſua cutem exedat, unde ſubſequentur cicatrices deformes, tunc utenda aqua ſalſa eſt: quoniam hæc actu frigida brevi tempore variolas

riolas exiccabit, & corrugabit. quæ poſtmodum liniendæ unguento ciſtrino, jure vervecino, vel gallinæ, aut anatis.

## *Concluſio.*

DEo Duce huc uſque ventum eſt, diximuſque ſatis Laconicè ut autumo, de febribus in genere & ſpecie: quare, ſi quæ deſint ſupplebuntur hoc modo facile.

Quintana, ſextana, ſeptana, octana, nonana, decimana, Tertianæ nothæ, ſeu quartanæ inſtar, tractandæ, cum ex eodem humore ut ſupra dixi, conſtent, ſed minori, craſſiori, magiſque lento, ſimiliter Lyphiria, in qua, teſte *Galeno, lib.* 4 *Aphoriſm. Comm.* 48. viſcera interna ardent, partes externæ frigent; ſic & Ephiola.

Modo differendum eſſet de febrium ſymptomatis, ſed cum de iis capite de febribus malignis peculiarem commemorationem fecerimus, ab eorũ curatione modò ſuperſedebimus.

Sed antequam finiamus: nonnulla adducenda quæ frequenter febribus contingunt, quorũ primum ſanguinis fluxus eſt, qui vel eſt criticus, vel ſymptomaticus. Si ſymptomaticus, curabitur curato morbo, quare neceſſaria eſt ſanguinis miſſio, aut aliquod auxilium neceſſarium; ut plenitudo eximatur.

Si verò Criticus, permittendus juxta doctrinam *Hippocratis, lib.*2. *Aphor.* 20. prolatam: *quæ judicantur & judicata ſunt integra, neque commovere, neque juvare medicamentis oportet, ſed ſinere.*

F Secun-

Secundum ſymptoma ſudor eſt, vel à cop vel debilitate. Si à copia, vacuabis; ſi à deb tate, tunc ſudor vocatur ſyncopticus, quia gidus erumpit, cardiacis ſuccurres. affirma *Galeno, lib.* 1 *ad Glauconem, cap.* 14. De ſyn pe ex evacuatione. Num autem ſudor abſ gendus, ut facilius procedat, legas apud M curialem *lib.* 5. *de febrib. cap.* 16.

Tertium eſt ardor urinæ; à nimia hep caliditate procedens. Curabitur eiſdem au liis, quibus hepatis ardor curatur. *Vnguen* nempe, linimentis, emplaſtris, & fomentis.

Siccatæ fæces nimio calore, curantur, & p vocantur refrigerantibus, & emollientibus c ſteribus, quorum amplam ſylvam ſupra f conſcripſimus. Ideoque ſatis

ad

*Dei Opt. Max. Gloriam.*

# F I N I S.

AOI. 1460763